



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Historiæ Societatis Iesv Pars ...**

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis  
ejusdem Sacerdote

**Orlandini, Nicola**

**Romæ, MDCCX**

Lib. XXII. Religio per Societatem Jesu defensa, illustrata, & propagata in  
Africa, ab anno MDXCI. ad MDCXVI.


---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)

LIBER XXII.  
PARTIS V.  
HISTORIÆ SOCIETATIS  
IESU.

*Argumentum & Synopsis Libri XXII.*

Religio per SOCIETATEM IESU defensa, illustrata,  
& propagata in Africa, ab anno Christi  
MDXCI. AD ANNUM MDCXVI.

I. ocietatis in Africam ingressus, & primi labores. II. Angolana Missio redintegrata. III. Insula maris Atlantici excolta. IV. Evangelica in Guineam excursio. Reges Montis Leanae, & Tora, cum vicinis Principibus permultis baptizati. Bekerini, quodnam hominum genus. Aferum prestigatae superstitiones, consuetudines emendatae. V. Obitus P. Balthasaris Barreira: ejusque vite ac virtutum synopsis. VI. Res gestae in regno Monomotape. P. Joannis Pauli Alexii caritas. VII. Religionis catholicae in Aethiopia status. Quomodo in eam ingressa Societas. Quid ibi profecerit. De Sociis P. Andrea Oviedi, olim Aethiopia Patriarcha. Illis subrogati, & in Aethiopiam profecti PP. Antonius Monserratus & Petrus Paezius capiuntur a pradonibus, & redire Goam coguntur. VIII. In ipsorum locum successit P. Abramus Georgius, dum venerari Mabometem recusat, a praefecto Turcico mactatur. IX. P. Petrus Paezius in Aethiopiam redit: coram Imperatore de religione disputat. X. Imperator ad Romanum Pontificem scribit, deque revocanda ad Ecclesiae communionem Aethiopia cum proceribus deliberrat. Eorum plurimi catholicam Fidem amplectuntur. Pauli V. Litterae ad Imperatorem. Bella intestina cursum Evangelii retardant. Socii recentes in Aethiopiam advecti. Fructus ab iis collectus. Catholicum de duplici natura in Christo dogma promulgatur jussu Imperatoris. Ejus frater Abissinorum errores abdicat. Subjuncti in religionem & Imperatorem conjurant.

S. I.  
SOCIETATIS IN  
AFRICA PRIMI  
LABORES.



AFRICA inaequalis trianguli formam refert. Latus septentrionale Europam respicit: & Barbaria ferè totum nuncupatur. Latus exortivum spectat Asiae peninsulam intra Gangem, sive oram Malabaricam. Latus occidentale obversum est Americae Australi: pars meridiana definit in acumen, seu promontorium, cui Bonae Spei nomen recentiores fecerunt. Interiorem Africam occupant Aethiopia, Nubia, & alia minora regna.

Afri-

Africam ingressa Societas est anno MDXLVIII. Lusitani urbes aliquas obtinebant in ea Mauritaniam partem, quam Tingitanam veteres appellarunt. Earum urbium præcipua erat Septa, ad fauces Herculei, seu Gaditani, freti: cuius gubernator cum nonnullos de Societate postulasset, PP. Joannes Nunnus & Ludovicus Consalvius ad eam delecti expeditionem, brevi perfecerunt, quemadmodum ad Simonem Rodericum urbis præfectus ipse scripsit, ut cives qui pravitate morum Saracenos ipsos antea superabant, religionis propè viris pares esse viderentur. Titianum inde profecti Patres, quæ civitas Saracena ditionis non procul Septa distat, captivos, in quibus sexcenti ferè numerabantur Christiani, partim redemerunt, partim salutaribus ad retinendam cum patientia religionem, præsidij instruxerunt. Eodem anno altera expeditio suscepta est in regnum Congi\*. Situm illud est in Africa littore obeuntem spectante solem, & ab Equinoctiali circulo, cui fermè subest, in meridiem præcurrit. Infra Conganum regnum, si procedas ad Austrum, jacet in eadem Africa ora maritima & occidentali regnum Angolanum. Variis parebat regulis usque ad annum MDXL, quo unus ceteris potentior, dominatum occupavit, seque Angolam Inenam, hoc est Magnum Angolam, nominavit. Ille, cognita è vicinis Conganis, Lusitanorum potentia, moribusque Christianorum, legatos tres destinavit in Lusitaniam, & sacerdotes petiit, à quibus legem Christianam doceretur. Olisipponem anno MDLVIII. pervenerunt. Pergrata Lusitanis accidit hæc legatio: sed munera, sacerdotes, & legatos vicissim comparantibus affertur Angolam Inenam obiisse. Timebatur ne Dambes, ejus filius successorque, non eodem erga religionem & Lusitanos animo foret. Tentanda res nihilominus visa, & Socii quatuor cum Paulo Diazio legationis principe profecti, Angolam anno MDLX. \* incunte attigerunt, Rex humaniter in speciem acceptos, & barbaræ fidei plus justo credulos spoliavit, atque in custodia sex annis habuit, in qua duo sacerdotes Societatis perierunt. Septimo demum anno, sive metu Lusitanorum ductus, sive novam avaritiæ prædam quærens, excusavit se Diazio, si quid in eum ac Patres Societatis acerbius consulisset, deceptus, inquebat, suorum consiliis: simulque professus est certum sibi esse Christiana suscipere sacra, & amicitiam cum Lusitanis sanctè colere. Diazium, quamvis barbari promissis meritò diffidens, tamen ut esset ulciscendæ injuriæ locus, si fidem frangeret; tum ne duos è Societate sacerdotes desitueret, qui velut obsides ab eo retinebantur, ita rediit in Lusitaniam ut Angolam cum majoribus copiis repetere statuerit. Reversus anno MDLXXIV. cum lecta militum manu, & novo nostrorum agmine, cui P. Balthasar Barreira præerat, statim Loandam occupat in ora Angolana, ejusque portum statione fida & munimentis firmat. Obierat Angola Dambes\*: eique successus Angola Quilonga, Lusitanis & Evangelii præconibus initio favebat. Itaque paucis post eorum adventum mensibus, baptisimus Æthiopum septuaginta Loandæ magno apparatu celebratus est. Totam hanc regionem obtinent varii dynastæ, seu reguli (Sobas vocant) Regis Angolani clientes, eique subditi. Porro ita fert gentis consuetudo, ut singuli suum in aulâ regiâ patronum quemdam sortiantur; quod plurimum valet ad illos artibus cum Rege conjungendos. Eam rationem Diazium non minori prudentiâ, quàm successu tenuerat, dynastisque à se devictis patronum domi suæ, & in ipso ut plurimum regno Angolæ assignaverat. Nec rarè quempiam è Patribus Societatis optabant. Nonnulli subinde prætores Lusitani, regna barbara moribus Europæis metientes, consuetudinem hanc abolendam cœnuerunt: magis è re ac dignitate Regis Lusitaniam futurum arbitrati, si eo uno patrono isti reguli uterentur. Hoc mutui fœderis vinculo soluto, pax brevi abrupta est: cumque Joannes Ruiz Cotinius circa annum MDC. Angolam prætor venit, è centum quinquaginta dynastis, qui antea Lusitanis parebant, vix unus in fide ac potestate illorum manebat. Tanti refert moribus alienis paulum servire, ut regnes! Reducti sensim, nec sine negotio, sunt ad pacem & fœdus; ac ne quid ab iis deinceps periculi tumultusque oriretur, arx ædificata est ad fluminis Conansæ ripam.

Supererant Loandæ anno MDCVI. tres duntaxat Societatis sacerdotes, ceteris

\* Parte I. Hist.  
Lib. VII. nu. 66.  
¶ Lib. VIII. n. 94

\* Par. II. Lib. IV.  
num. 204.

I.  
Ingressus Societatis in regnum Angolæ.

\* Par. V. Lib. III.  
num. 154.

§II.  
ANGOLANA MIS-  
SIO REDINTE-  
GRATA.

teris labore vel morbo consumptis. Venere subsidio PP. Eduardus Vazius & Franciscus Goisius, cum fratre domesticæ rei adjutore Antonio Barroffio. Habebant ipsum Loandæ portum in conspectu, cum geminas majores instare Batavorum naves vident. Neque fugæ locus erat, neque pugnæ. Deditioe igitur facta, Batavi captivam in ratem irrumpunt, & mercibus sarcinisque direptis miseros vectores in exiguam conjiciunt scapham, adeo ut pondere oppressa panè mergeretur. Non haustos millies fluctibus fuisse portenti simile meritò creditum. Si quid venti perstreperet, si unda intumesceret, nemo non cohorrerebat: ac sane paulo violentior fluctus uno cymbam & vectores tumulo contexisset. Aliud à balanis periculum exstitit multo gravissimum, quæ in mari summo subsilientes tantum aqua patulis efflabant naribus, aut ludente tollebant cauda, quantum ad opprimendam naviculam fuisset satis superque, si paulo propius accessissent. Unam, quæ se scaphæ subjecerat, vix implorata cælitum ope, depulerunt.

Tot periculis defunctos Loandæ portus accepit. Confectim sacerdotes in medias ingressi terras ad prædam animarum se accingunt. Primus illis & pernecessarius labor in oppidulo Christiano, cujus incolæ, quamvis initiati sacramento salutis, gravi tamen rerum divinarum incertitia laborabant. Quin templum vetus retinebant, in quo turpissima simulacra spectabantur, caprarum capita & testudinum, ossa elephantorum, nonnullæ hominum formæ; vetera loci hujus nomina, & tristes erroris antiqui reliquiæ. Omnes flammis data. Regulus unum è suis liberis instituendum Patribus tradidit. Par in oppido vicino incertitia, pervicacia major. Huic præerat illustrior Soba, regulorum quatuor dominus: qui tamen Christianum se ferret, trecentas nihilominus alebat uxores. Earum numero famam remque metiuntur. Hoc unum ab eo impetratum, ut in colle Crux poneretur; item ne templa falsis dicata numinibus avo semel prostrata instaurarentur.

2.  
Fructus ex Angolano regno percepti.

Major oblata spes à duobus regibus, quorum regio fines Congani regni attingit. Missi ab illis legati cum muneribus, rogarunt legis Christianæ magistrum. Data hæc provincia Patribus Francisco Goisio, & Gaspari Azebedio. Apud alios dynastas Angolanos vigeat sanctus Domini timor, & pietas in *Mariam virginem*: hoc enim titulo dedicatum illi erat sodaliticium. Quin etiam milicum unanimi ducumque consensu decretum fuerat, nunquam ut refrigerentur signa, nisi delatâ prius in castra effigie Virginis, ex qua velut auspicium rei bene gerendæ sumeretur. Par Crucis sacrosanctæ veneratio. Hanc in editiore defixam loco regulus præteriens impiis vocibus & contumeliosis incefferat. Secuta flagitium non tardo pedè pœna. Morbo derepente oppressus, gravissimos dolores toto, quam longus fuit, anno pertulit. Omnia nequicquam remedia experto, venit in mentem denique vera mali causa. Mittit è suis proceribus qui Cruci honorem habeant, veniam à Deo Christianorum exposcant suo nomine: addito voto, si convalesceret, Christiana sacra suscepturum. Iisdem regiam tradit chlamydem, quam appendant Cruci, donarium pro rege, piaculum pro reo. Vix abierant, abiit pariter morbus; & reversi proceres sanum valentemque invenerunt. Continuo legatos ad Lusitanum prætorem destinat, qui pacem, & sacerdotem à quo sacris baptismi undis expiaretur, impetrarunt.

§III.  
INSULÆ MARIS  
ATLANTICI EX-  
CULTÆ.

Dum in terra continente sanctitas religionis beneficiis cœlestibus pœnisque sancitur; eadem in Africanis insulis restoruit. Sunt in Africa occidentali ora, & Atlantico mari, triplicis maximè generis insulæ. Primò Azores, ita dictæ ab accipitrum, quibus abundant, copia; vocantur etiam Tertiarum, ab insula Tertia, illarum præcipua; necnon Flandricæ, quia primùm à Belgis detectæ fuerunt. Jacent è regione Lusitanæ, ad ejus occasum. Infra illas versus Austrum, & ultra Gaditanum sinum occurrunt insulæ Canariæ, sive Fortunatæ. Denique Hesperides è regione Promontorii Viridis sedent, à quo etiam nomen habent. Operarii tres è Societate ad Azores anno MDLVI. profecti, eas contingere nequiverant, quamvis repetita bis navigatione. Excussi destinato cursu, post varios errores in Maderam insulam Fortunatis vicinam sunt rejecti. Hanc piratæ Calviniani occupaverant: & præter alia crudeliter, ut eorum est mos, gesta, stragem sacrorum latè fecerant. Itaque felix & optatissimus incolis adventus Patrum post calamitatem

tatem tantam exstitit. Anno insequenti altera Patrum colonia deducta est in Canarias insulas à Bartholomæo Turriano, illarum Episcopo recens creato\*. Excepit summa gratulatione populus jam notum fama pastorem: famam vicit præsentia. Dum Socii præclarum antistitem imitari contendunt, dici vix potest quantum laboris quanto fructu exhauerint. Eorum unus tamen morbo victus occubuit; nec diu superstes præsul fuit ingentis animæ prodigus. Quo amisso, Socii tres reliqui Lusitaniam, ut iussi erant, repetierunt.

\* *Par. III. Hist. Lib. III. n. 203.*

Sebastianus Rex Societatem rursus in Azores inducere meditans, collegium Angræ collocandum, petierat. (Est Angra insulæ Tertiæ civitas primaria.) Itemque alterum Funcaliæ, in insula Madera. Utrique collegio ritè instituendo dati Socii anno MDLXX. Azorum insularum facilè maxima est insula S. Michaelis. Primaria ejus civitas *Punta Delgada*. Hæc anno MDXC. Collegium enixè postulerat horrendo terræ motu concussa. Montes auditi fuerant cæco & immani strepitu mugire; tellus pluribus locis visa dehiscere; prorumpere ex atris voraginibus flammæ globi; & inter diros fremitus piceosque turbines volitare, avulsa montium viscera, & liquefactæ rupes, quæ stragem fati, & hominibus exitium longè latèque intulerant. His permoti cives Sociorum opem imploraverant. Area collegio extruendo descripta, proventus assignati, sacra & domestica suppellex anno MDXCI. comparata. Rursus anno MDXCIII. navigatum est in Fortunatas insulas: quò designatum ipsarum Episcopum quatuor è nostris comitati sunt Aprili mense. Post diem septimum quàm Hispali solverant, venere in urbem Palmarum, quæ est primaria Canariæ, Fortunatarum præcipuæ; cujus vulgo nomen ceteris etiam tribuitur. Septem numerantur: Magna Canaria, Ferraria, Fortisventura, Gomera, Teneriffa, Palma, & Lancerota. Pleraque sunt steriles, inamœnæ, ac parum dignæ specioso, quod illis antiquitas donavit, Fortunatarum nomine. Præter conciones matutinas ac vespertinas, quæ frequentes fuerunt, ac diligentem tradendæ doctrinæ Christianæ curam; sepositum fuit certum tempus explicandis graviorum difficultatum nodis, cujusmodi complures occurrerant in rebus ad utrumque forum, civile & Ecclesiasticum, spectantibus. Impensus quoque labor constituendis componendisque sodalitiis: & regendis moribus virorum in omni civitatis gradu principum; quorum ad vitam & exempla componere se vulgus solet. Traditus etiam est anno MDCXIII. modus meditandi res divinas, præeunte sacerdote, ac viam sternente rudioribus. Bellissime processit ista exercitatio, meditationi similior, quàm concioni: atque utinam esset magis usitata in Europæis urbibus: concionatores magno levaret labore, ac fructus uberior ad auditores permaneret. Dum redditum Socii parant anno sequenti, manere coacti sunt. Prætor edicto sanxit, ne quis illos nauclerus transportaret. Quare Lancerotam, & Fortementuram, quæ solæ de septem insulis visendæ restabant, tanto studiosius colere aggressi sunt, quanto illas humanis omnibus commodis videbant magis orbatas. Hæc duæ sunt Africano littori proximæ. Vix unquam pluvîa solum sterile recreatur. Ut inculti passim agri; sic animi. Incolæ tamen Christiani. Sed quid juvat præclarum nomen, si doctrina, si mores absint? Fortisventura veteri gloriatur templo, quod olim B. Didacus ferè integrum ædificavit. Auctorem atque architectum sentire locus videtur, & peculiari quadam pietatis suavitate adeuntes permulcet. Non licuit Sociis ibi diu consistere, aliarum insularum incolis ipsos certatim ad se revocantibus. Ubique sic advenis pariter indigenisque consultum est, ut vulgo dictarent suas insulas eo Patrum accessu vere dici posse Fortunatas.

3.  
Collegia in insulis Tertia, Madera, & S. Michaelis, fundata.

IN Africa ora Occidentali, infra Caput seu Promontorium Viride, in decimo gradu latitudinis septentrionalis, longè protenditur Guinea. Sunt qui dividant eam duas in partes: unam superiorem, sive Guineam propriè dictam: alteram inferiorem, quæ regna Conganum & Angolanum contineat. Lusitanæ Rex pro suo singulari propagandæ religionis studio, sacerdotes miserat in Guineam anno MCCCCXCI. Sed cum Indicæ res Lusitanorum arma & classes per id maxime tempus occuparent, intermissa paulisper Guineæ cura fuit. Hæc repetita est anno MDCIV. & postulante Rege missi sunt à Præposito Generali Societatis

S. IV.  
EVANGELICA IN  
GUINEAM EX-  
CURSIO.

PP, Balthasar Barreira, Emmanuel de Barros, & Emmanuel Fernandes, cum Fratrem domesticæ rei administro. Eodem anno insulam S. Jacobi, e regione Promontorii Viridis attigerunt. Illic prima operosæ missionis fundamenta sunt jacta, discussis veneficorum præstigiis, qui per simulationem sanandorum corporum, perniciem animis & corporibus afferebant. Remedium pariter allatum corporum, per Servitia enim Æthiopica ex interioribus Guineæ plagis in hanc insulam deportata, interdum ad sexcenta, raptim baptizabantur: ac subito imponebantur in naves, in Indiam aliove abducenda. Operam dederunt Patres ut erudirentur per otium, & quam amplecterentur Fidem, quam vivendi credendique legem profiterentur, intelligerent, Multa etiam ex illis, per vim in servitutem abrepta, libertatem beneficio Sociorum consecuta sunt. Plerisque rebus ad hunc modum benè constitutis, in continentem P. Barreira transgressus est, relicto, qui excoletet insulam, P. Emmanuel Barro; nam P. Fernandez mors eo molestior abstulerat, quo ætas illius futuro labori magis idonea virtusque videbatur, Africæ littora legentem Barreiram Bissani Rex convénit, jam ætate proventus, nec abhorrens à suscipienda Fide; sed quia illius ad baptismum comparandi spatium non erat, in aliud tempus differenda res fuit. Quinalam attigerunt VIII. Idus Januar. sequentis anni MDCV. Regem alloqui graviter ægrotantem, eique litteras Regis Lusitanæ tradere Barreira non potuit: tantummodo egit cum ejus primario administro, regniq; principibus, & ab iis impetravit primò ut Christianæ faverent legi, quod ultro annuerunt; deinde ut, si quid Regi accideret, ejus funus humano sanguine non cruentarent. Ita fert enim gentis consuetudo, ut Principum uxores ad eorum tumulos interficiantur. Non absimili ritu equum regium, familiaque partem optimam, perimunt; ne Rex mortuus equo scilicet famulisque destituatur. Ut citius inde Barreira discederet fecit Regis morbus, ac regni perturbatio. Itaque Bigubam properè petens primos anni MDCV. menses juvandis indigenis ac Lusitanis dedit. Culturæ diligenti messis non malignè respondit.

4.  
Rex Montium  
Leonæ Christiana  
na suscipit sacra  
cum liberis &  
fratribus.

Paucis mensibus Bigubæ transactis, contendit Idib. Jul. in eum Guineæ tractum, quem Montes Leonæ appellant; quippe montium quasi catena cingitur: quibus incurstantes vehementius venti sævos leonum rugitus imitantur. Navim tempestas compulsi in vicini regni portum, ubi plerosque Lusitanos Barreira sacramentorum prædiis communiavit, quibus annos complures caruerant. Regulum quoque obviam prodeuntem allocutus, eum, donec mare procellosum miteceret, erudit, ac divinæ legis amore sic inflammavit, ut extruxerit sacellum, interfuerit sacris precibus, speciem denique Christiani hominis præ se ferret. Ubi de baptismo actum est, negavit se id posse, nisi Fatema, regulorum ejus plage arbiter ac dominus annueret. Discessit mæstus sacerdos, mortalium vanos insalutis negotio timores vecordiamque deplorans. Ejus marorem consolatus est Montium Leonæ Rex, quem jam imbutum Fidei mysteriis & cupiditate baptismi flagrantem reperit. Unde ardorem hunc hausisset mox dicam, Barreira, cui negotii gravioris aliquid gerendum instabat cum Lusitano haud procul degente, rediturum se pollicitus, & ægrè dimissus, jam navim conscenderat; cum subit animam anxia cogitatio, & metus ne Regis Christo acquirendi amitteret occasionem, forte non reversuram. Iter subito reflexit, ac summa incolarum, & Regis gratulatione accipitur. Statim Princeps edici per præconem jussit, ut convenienter urbis fabri omnes ad sacram ædem excitandam, Ipse instabat operi; neque imbribus fœdis, quibus horrebat cœlum, avocari potuit usque dum fabricæ manum ultimam imponeret. Rem in ea divinam fecit Pater luce Archangelo Michaeli sacra. Exceptis sacrificium concio, qua mirè accensa est Regis pietas, adeo ut moram baptismi suscipiendi nullam ferret. Ardorem hunc facilè restinguendum Barreira credidit, una conditione proposita, quæ barbaros ejusmodi Principes à Christiana religione vel maxime deterret. Nempe, inquit, si tibi stat Christo nomen dare, unica sis contentus uxore necesse est. Ego vero, ille retulit, missas omnes facio: Regis vicini filiam delegi, quæ mihi conjugio stabili jungatur modo mittam qui arcessant. Et legatos cum donis ad eam ire jubet. Has Christiani

stiani matrimonii leges didicerat ab una, quam è multis uxoribus, seu pellicibus potius, habebat carissimam. Inter Lusitanos olim educata, & Christi professam legem, conscientia scelerum dies noctesque cruciatur, & de Christianorum institutis ac legibus sapissimè cum Rege, facundia singulari differebat. Ad Barreiræ conspectum respiravit misera, & Regi se Christianam esse indicavit. Interim advēnit regalis sponsa, magno procerum ac famulorum comitatu; in eoque patruus puellæ, ac foror. Venere pariter fratres & propinqui Regis. Sed prius erudiendam virginem sacerdos prudens duxit. Ecce autem, dum illi mores Christianos & matrimonii leges explicat, ipsa ejusque cognati vehementer obstupefacti, respondent sibi data esse verba, neque passuros ut jugum tam difficile subiret: nuberet sane, at more patrio: audiendam esse Reginam ejus matrem; ea invita puellam neque duci, neque baptizari posse.

Turbati tam inexpectato casu animi: triste defixit omnium oculos & orasilentium. At non territus Rex, consilio cum suis fratribus & Lusitanorum primoribus habito, Patrem evocat: sibi certum esse ait prætolari usque eo dum reginæ responsum afferatur: interim caput sacro lavandum fonte offert. Cunctantem Barreiram urgent Lusitani, & quanti ad publicam rem interstet pia Principis vota non differre, demonstrant. Quò id libentius faceret impulit fratrum Regis ad Christiana sacra pariter suscipienda consensus. Ergo die constituta ornatur templum; festa lux indicitur civitati; perstreperunt omnia concentibus. Processit Rex inter fratres procerumque florem medius, & adhibitis insigni apparatu, quæ tunc usurpantur ab Ecclesia, carimoniis, Philippi nomen accepit. Expiati simul sacro laticæ duo ejus fratres, & liberi quatuor. Aderat, mysteria cum peragerentur, amita Regis, matrona præcipuæ auctoritatis, cujus omnes nutus ipse Rex observabat. Nec solum negotiis solebat illa præesse, verum etiam armis; & postremum agmen consequi cum arcu, sagittis, & eburneo scipione, quo tardiorum segnitiam, aut fugacium terga, non molliter castigabat. Ea carimoniarum splendore sic affecta est, ut sacri baptismatis compos fieri arderet. Visum est parumper differendum, donec esset impositus finis luctui publico, propter mortem ejus fratris instituto. In eo luctu Christianos mores Philippus Rex ostendit. Nam cum Principis demortui uxores & famuli magnam partem mactandi essent, quod solenne omnibus Guineæ regnis est; vetuit ne barbara consuetudo valeret, quam legi divinæ contrariam cognoverat. Idem vicini Regis filio, quicum inimicitias gerebat, ignovit; admonitus Christianorum esse inimicos diligere. Interim diu expectata virgo regia, quam sibi uxorem delegerat, cum assentiri propositis matrimonii legibus recusaret, ad aliam Regis pariter vicini filiam legati sunt missi: quæ ritè baptizata, regalis tori una deinceps & legitima consors fuit.

Magnam finitimis regibus admirationem movit à tanto Principe suscepta Christi fides. Ejus in primis factum approbavit Rex Toræ, omnium Guineæ dynastiarum, propter insignem prudentiam clarissimus; cujus gubernari consiliis reliqui consueverant. Ille, percepta diligenter atque explorata Christi doctrina, & P. Barreiræ moribus, cum per legatos oravit, ut se quamprimum convenire ne gravaretur. Facturum promisit Pater post natalitias Christi ferias, quæ in propinquo Lusitanorum portu celebrabantur. Ad eas verò libenter se accessurum respondit, avidus cognoscendi propius & spectandi quæ audierat. Ut in ædem sacram bellissimè adornatam venit, liberis & aula comitatus; ut pictas egregiè tabulas, faces ordinae pulcherrimo dispositas, modestiam populi, sacerdotis vestes, incessum, pietatem; ut venerandam tremendi sacrificii speciem oculis hausit; fatiari admirando laudandoque non poterat, longè majorem fama rem esse confessus. Orare deinde ut Fidei sacramento donaretur. Hoc ut fieret commodius ac splendidius, electa est in ejus regno insula, ubi plerumque morabatur propter loci opportunitatem amœni juxta & securi. Sedes templo ibi designatur à Barreira; statimque constructum est, urgente Rege, operisque festinantibus. Nec vero longas ædificandi ratio moras illic habet. Palos ingentes altam in humum defigunt; inter se appressos firmanst constringuntque transversis in summo tabulis, quas inducunt argilla, & candidissimo tectorio perlinunt. Culmen confi-

5.  
Rex Toræ a  
P. Barreira ba-  
ptismo iustri-  
tur.

ciunt trabes imbricatae, aut utrinque deversa, & palmarum foliis operata. Hunc in modum structo prope templo, Rex Toræ Christo Regi sacramentum dixit, accepto Petri nomine: & matrimonio è Christianis legibus peracto, Philippi regis sororem natu majorem duxit.

Hæc illustria cœlestis gratiæ monumenta secundum Deum adscribi merito poterant ejusdem Philippi consiliis & exemplis. Ad Lusitaniæ Regem anno sequenti scripsit in hæc verba: *Gratias ago immortales præpotenti Deo, rerum omnium effectori, quod ignorantia mea tenebras discusserit, ac sua sanctissima legi mibi lumen ostenderit. Magnam habeo quoque tibi, Rex, gratiam, quod tuo beneficio nactus hominem sem, à quo docerer vanitatem idolorum, & inter Dei filios consecuti; cum prius Diaboli essemus infelices filii, ac mancipia vilissima. Tanti P. Barreiram facio, ut eo ad Reges alios Evangelii luce collustrandos discedentibus, mibi videar esse viatori simillimus, quem occidens sol in obscuro nemore destituit. Par esse tot regnis tamen doctor unus nequit. Quare te obsecro ut alios ejusdem Societatis homines mittas; quibus opitulantis sacrum spargere facilius possis ignem, quo me jam succendit; adeò ut verum Numen omnes adorent & colant. Late meum hoc regnum patet: cælo admodum salubri, & feraci solo fruitur. Quicumque huic Lusitania venerint, iis nullius rei copia deerit. Utque illorum securitati consulatur, & unde impetum in vestras naves facere solent, mortalium immortaliumque hostis infensissimi. Deum, quem agnoscere cœpi, verum unumque precor ut annos tot Martijati tua indulgeat, quot arenas litus, quot stellas polus habet. Philippus, Martium Leana Rex. V. Kal. Martias MDCVI.*

6.

Reges vicini suos liberos doctrina Christiana informandos tradunt: & baptismum postulant.

Haud ita multo post Rex Toræ decennem filiolum suum erudiendum & baptizandum dedit, ac paulo post alterum biennio majorem. Mira in pueris indoles, & ardor discendi incredibilis elucebat. Illud verò studebat in primis Barreira, ut præclaram de religione existimationem teneris mentibus combiberent, factis gnarus pueros opinione duci, & ut quidque plurimi fit, ita cupidissime arripi ac retineri. Admonitus Philippi Regis litteris Lusitaniæ Rex, ejusque pietate vehementer delectatus, novos Evangelii præcones à Societate postulavit. Venerunt anno MDCVII. P. Barreira suppetias Patres Emmanuel Almeida, Petrus Nettus, & Emmanuel Alvarez. Sed primi duo paucis post diebus morbo consumpti sunt. Alvarez in Africam interiorem prorumpens, mores incolarum impletisque rebus emendavit. Illud in primis persuasit, ne viris nobilibus mortuis parentarent humano cruore: id quod usurpabant præcipua quadam crudelitate. Nam pedum & manuum digitos minutatim dissecabant uxoribus mortuorum & amicis; crura contundebant vestibus, & sensim comminuebant: quam lanienam ubi tribus horis aut quatuor exercuerant, fugientem animam, adacto in collum præacuto palo, exturbabant, in aliorum conspectu, qui eandem laci gestientelque sortem opperiebantur. Guinalæ Rex morem inhumanum abrogavit: moxque ut sacris baptismi aquis tingeretur enixè precatus est. Idem plurimi ejus proceres ac finitimi Reges aliquot flagitarunt. Eorum vota Pater distulit, spatium ut esset ad eosdem erudiendos accuratius probandosque; sapienter existimans jacienda penitus ædificii fundamenta quod stabile ac diurnum esset. Interim Regem Benæ potentissimum, quippe septem octove imperitantem regulis, convenit. Ab eo sæpè fuerat accitus, neque per litteras duntaxat, sed misso filio, juvene ornatissimo, qui Barreiram deduceret. In viam igitur se dedit, in eunte Maio anni MDCVII. quamvis procelloso mari. Sed gravius in terra periculum fuit. Rex vicinus, dudum Benano infensus, per cujus fines iter necessario carpendum erat, Lusitanos Patremque neci destinavit. Locum diemque nundinarum cædi patrandæ assignaverat. Confluxerant Lusitani; & quia nulla suspicio fraudis, mercibus magis quàm armis instructi, jam eos barbari circumsteterant, cum dynastes Lusitanorum amicus, cognitis insidiis, eas & consilio discussit, & compressit manu. Rex negavit se conscium fuisse meditati sceleris, & acceptis Barreira muneribus, iter Lusitanis expedit. Factus certior Benanus de Patris adventu,

ventu, majorem natu filium præmisit, cum ingenti Nigritarum comitatu, & præstanti asturcone, quo reliquum iter commodius conficeret. Subeuntem complexus arctissimè, nutibus dulcique fetu (nam lætitia vocem intercludebat) salutavit. Inde in paratam domum perduxit. Hanc vallo muniverat & custodibus, ne qua mulier intro pedem ferret: audiverat enim Patrem cum feminis loqui non solitum; & præconis voce totam per urbem edixit ut mulier nulla sine idoneis vestibus, quandiu hic moraretur, prodiret. Nam plerumque levius restæ, ut in æstu summo, degunt. Festa lux fulserat Christo in cœlum redeunti sacra. Rem divinam Barreira fecit, secundum quam Regi ac populo cur veniret exposuit: non aurum gazasque se petere, sed animas, quarum dignitatem, hostes, & pericula demonstravit. Accendit ea Regem concio cur Baptismum vehementius ex peteret: neque gravatus est adesse sub vesperam, cum sacerdos doctrinæ cœlestis capita promiscuæ multitudini, quæ ad audiendum toto ex oppido confluerat, explicaret: imo se palam Christianæ legis & Fidei percupidum professus, monuit suos ut se præeuntem sequerentur, ac Mahometi sacrilego veteratori nuncium remitterent. Hæc dicentem aliquot Principes ei subditi, qui tunc aulam frequentabant, magno assensu audiverunt.

Nihil restabat aliud, nisi ut præclarè inchoatis rebus cumulum baptismus Regis adderet. Expectabat populus hoc veluti signum, ut in Christianam jureret legem. Jam dies certa operi tanto designabatur, cum illud generis humani hostis, per unum è suis satellitibus omnino disturbavit. Præstigiatorum illic genus est, qui se nominant Judæos, quamvis ignoto vel spreto Moyse, unum Mahometem & Alcoranum audiant. Artem dicendi profitentur, ac laudandi Reges. Hujus artis beneficio insinuant se se in eorum gratiam, & primum auctoritatis locum sæpissimè occupant. Illorum egregia facinora colligunt, victorias ab hostibus reportatas, majorum trophæa, denarrant amplificantque admistis fabulis & portentis. Hoc veneno instructus, quo nullum est præsentius ad aures Principum inescandas, in Benani regis aulam circulator insidiosus adreperat, & eloquentia volubili detinebat incantum, sermone in duas ut plurimum horas producto. Barreira laudari duntaxat Regem, cum linguam ignoraret, arbitratus initio quiescit: sed intellexit brevi quantam rebus optimè constitutis perniciem histrio sceleratus attulisset; cujus omnis oratio in laudando Mahomete, & Christiana lege deprimenda, versabatur. Mutatus illico Rex sermonem de rebus divinis respuere, sacram ædem fugere, opponere metum à vicinis, si Lusitanorum sacra susciperet, maxime à Bekerinis. Sunt illi Nigritarum quædam natio. Fluminis Gambeæ ripas accolunt, arctissimo fœdere cum Madingis conjuncti, gente bellicosissima, cujus veluti sacerdotes doctoresque sunt. Mahometanam superstitionem omni ope propagant, & regionem obeunt vicatim, discipulorum grege cincti. Quocumque illorum quispiam accesserit, ut angelus è cœlo lapsus excipitur observaturque. Ac primo quidem edicit publicè diem quo verba est facturus. Concurrunt populus innumerabilis patentem in plateam: prodit impius orator, & ex eleganti sacculo tres quatuorve rancidas chartas in orbem convolutas imponit suggesto pulcherrimè confrato. Mox ore manibusque sublatis consistit, nescio quid commurmurans. Inde flexis poplitibus ante illas chartas accidit, & sensim evolutas attollit sublime, ostentatque populo, quem monet ut gratias Deo agat ejusque prophetæ magno Mahometi, quorum nomine ac verbis loqui se profiteatur. Postea recitat aliquid ex iis schedis, interpretatur, edisserit; hanc Dei vocem, legemque veram esse contestans. Pendet ab ore dicentis attenta plebs, nemine, tamen plures nugis ineptissimis explicandis horas disperdat, aut colloquente aut dormitante. Ejusmodi Mahometanæ legis doctoribus præest antistitis more fenex: majorem Bekerinum vocant. Ibi ferè degit, ubi ampliorem disseminandæ exitialis doctrinæ opportunitatem fore putat; ac dominatum quemdam in Reges ipsos obtinet. Ab illo Rex Benanus artem didicisse ferebatur evocandorum dæmonum, quos tanquam satellites ac tortores ad vexandos hostes suos adhibebat: id quod experti in magno suo detrimento Lusitani confirmabant. Hinc terrori finitimis omnibus erat: cum neque vis, neque fuga subduceret ultioni quem-

7.  
Regem Benanū  
Judæus im-  
pator à baptismo  
deterret. Qui-  
nam Bekerini.

quemcumque afficere supplicio statuisset. Ea cum cerneret P. Barreira, neque illum ad pristinam legis Christianæ suscipiendæ voluntatem ulla ratione revocare posset, adorans divina judicia, discessum parat. Neque enim spes erat populi ad meliora sacra convertendi, Rege non præeunte. Ille nihilominus seu pudore aliquo, seu virtutis, quam in Evangelico sacerdote perspexerat, reverentia, retinebat invitum. Exoratus ab amicis dimisit, non tamen penitus vacuum & inanem: suum enim filium natu minorem abire cum ipso passus est; eique se juvenis comitem ac discipulum ultro dedit. Sic divina munera non cadunt prolixè irrita, quodque respuit unius perfidia, pietas alterius & fides accipit.

Dum oblatam Fidem Rex Benanus rejicit; hanc Regis Toræ pietas in populari quadam carimonia vehementer illustravit. Solenne apud Afros, & religiosum erat, si quis vir Princeps obiisset, vocare certum in locum affines ejus & consanguineos, quorum est multitudo plerumque magna, cum abundant uxoribus. Quocumque nuncius lugubris deferebatur, continuo stentium ac suspirantium planctus lamentabilis tollebatur, ut si suus cuique pater ademptus foret. Tum ad constitutum funeri locum accelerabant cum donis, ut cujusque ferebant fortunæ. Quanto propius accedebant, tanto vehementiores edebantur gemitus, tanto uberiores lacrymæ fundebantur. Aurum verò, pannos & cibos infodiebant sepulcris, ut ne mortui egerent. Ac ne quis ea compileret, noctu corpora, paucisque conscis, terræ mandabant: cavebantque ne quod exstaret in ipsa humo tumuli vestigium. Quin, ut res esset tutior, alicubi consueverant fluvium aliquem è solito cursu parumper deflectere: cujus in alveo serobem effodiebant: ibi cadaver deponebatur unâ cum thesauro; mox priorem in alveum flumen restituebatur. Exactis mensibus luctui destinatis, redibant in eundem locum, non lacrymis, ut ante, perfusi, sed ovantes ac tripudiantes. Hic vino cibusque se ingurgitabant, epulasque nocturnas producebant in lucem clamoribus inconditis, adeo ut nec ipsi partem somni caperent ullam, nec alios capere paterentur. Ejus, cui funeris data cura, partes præcipuæ tunc erant, ut tanta suppeteret vini copia, quantam exhaurire invitati nequirent. Ex ebriorum numero funeris splendor æstimabatur. Hinc jurgia, cædes, & nova funera: ut pro uno mortuo, multi sapius efferrentur. Ad ejusmodi funebrem pompam Petrus Rex Christianus à vicino Principe vocatus anno MDCVIII. abnuvit per diu: adesse tamen certis de causis coactus, separatim a tumultu pagum sumpsit; cumque verni jejunii dies in idem tempus incidissent, ab eo nunquam impetrari potuit ut caribus velceretur. Hæc in Principe neophyto temperantia non paucos admiratione Christianæ virtutis & amore succendit. Verum improbis, quorum major turba, vehementer displicuit. Ergo ut patrios Deos, avorumque manes, velut offensos neglecta religione, placarent, perduxere in atrum nemus certas pecudes, & puellam opiparè ornatam: eamque cum infausto grege inter carimonia Avernales immolarunt. Sceleratorum impiam crudelitatem reversus in regnum Petrus contraria carimonia, plena religionis & pompæ, expiare conatus est.

8.

Guineæ Reges  
multi ac Principes  
jugo Christi  
colla subdunt.  
Eorum prisca  
Numina.

Regis Toræ pietatem æmulabatur Philippus, Montium Leænæ Rex. Eo jubente conditum est in S. Salvatoris portu, ejus regni primario, templum amplissimum & ornatissimum. Addita Societatis domus; & exstructa prope templum regia; in quam Rex cum omni aula commigravit, ut esset Christo Patribusque vicinior. Ipse, cum defigeretur in edito & conspicuo portus loco præalta Crux, adjunxit se nostris eam gestantibus, & humeros regios oneri pio supposuit. Eversa, quæ imminebant portui, falorum numinum delubra Crucis trophæum illustrarunt. Erat Philippo regi soror, lætissima & sapientissima femina. Religionem Christianam vel hoc nomine magni faciebat, quod ejus leges unius duntaxat uxoris copiam viris faciant. Illas ubi cognovit accuratiùs, teneri non potuit quin suum nomen inter Christianos profiteretur. Ab Rege in templum deducta, & lustrata sacro fonte fuit; nec sola: consecutus Regis frater, & regni futurus heres, Joannis in baptismo nomen sumpsit. Fidem Christo datam probavit ingenti & publica idolorum strage: horum in locum ac venerationem Crux substituta. Duo restabant ejusdem Philippi Regis fratres; ab eo tandem expugnati sunt. Alter Bartholo-

tholomæi nomine fuit insignitus; vir contestatæ in rebus humanis prudentia, ac facultate dicendi tanta, ut animos quocumque vellet impelleret: alter Sebastiani. Utriusque baptismus singulari apparatu, & certantibus indigenarum ac Lusitanorum studiis celebratus, multos dynastas, qui aderant, ad imitandum, permovit.

At Petrus Rex Toræ, feminas Principes, ipsius ante baptismum uxores, in partem boni, quo fruebatur, & Fidei vocavit: vicinis regulis, aliis superstitiones, aliis vitia, multis idola eripuit. Ecce autem in ipsius ædibus repertum est nescio quo casu vetus simulacrum, quod olim præ ceteris coluerat; & quod unum latuisse, ac ereptum fuisse flammis, cum arderent reliqua, dolebat. Inventum latus obtulit Patribus: Patres puerulis, ejus aliorumque dynastarum Christianorum liberis laniandum permisere. Cerneret pueros gestire lætitia, lacerare infamem truncum, raptare, tundere, lentis ignibus torrere. Nullos æquè ludos pueri principes amabant: ea mente rimabantur domos, & ovantes, quicquid foret deprehensum, asportabant: præcipuè verò exiguas pyramides perquam affabre laboratas, & vulgo pro numinibus cultas. Chinæ appellabantur, & in armariis loculentisq; recondabantur: Penates Deos, & quasi Lares Afrorum dixisses. Eorum jurare numen & fallere universi timebant: mancipia recens empta ipsorum velut in fide ac tutela deponebant; orantes ut, si servus fugeret, inultum ne paterentur, sed anguibus ac tigribus devorandum objicerent. Quo metu sic tenebantur mancipia, ut nulla herorum severitate ad fugam inducerentur.

Præter ista privata veluti numina, erat in quolibet regno aliud quoddam, commune, & quasi publicum. Camassonus regni Toræ Deus habebatur. Huic solenne sacrificium Rex, nondum Christianus, quotannis faciebat in exigua insula scopulo. Peracto sacrificio, capreas & gallinas in insulam vivas projiciebat, munus Camassono. Nec metus, ne quis inde illas surriperet: neque enim mortaliū quisquam audebat humum sacram contingere. Quin, prætereuntes nautæ oryzam oleumve in æquor libantes conjiciebant, ut felix bonusque Camassonus esset navigantibus: rati se omnino perituros, si secus facerent. Testatur P. Barreira, cum præter aliquot insulas ejusmodi haberet iter in Africano littore, visas sibi hominum ignotorum formas, vel potius dæmonum, qui loca sibi à miseris mortalibus data & dicata insiderent. Hæc impietatis avita monumenta Rex abolivit: adeoque non incurrit in vicinorum odia, quod ejus amici metuebant, nunquam ut magis fuerit cultus, aut frequentius officii causa conventus: quod illic ad famam & commendationem censetur eximium. Nullus ab eo discedebat nisi præclara de Christianorum sacris opinione imbutus; & ea suscipiendi voluntatem consiliumque plurimi susceperunt.

Sed dum alieni & externi Principes votis optimi Regis obsecundabant, angebat illum dolor domesticus, de filio primogenito. Nullæ juvenem protervum vincebant blanditiæ, nulli ab insano dæmonum cultu metus absterrebant. Cærimonias sanctissimas deridebat: jocabatur in mysteria augustissima: oratus increpitusque bacchabatur & furebat. Quid plura? ut ne videret Christianum patrem, procul discesserat. Quod neque sacerdotum preces, nec minæ parentis effecerant, pervicit exemplum. Statim atque Joannem Principem, Philippi Regis fratrem, descivisse cognovit à sacris gentilibus, erudiri voluit; eruditus est, baptizatus est\*. Concurrit ad hoc spectaculum tota regio, Rex advolavit; filiumque tanquam natum denuò, & meliori donatum vita complectens, lacrymas, quas gaudium exprimebat, pro voce fudit. Hoc vulnere percussa superstitio contremuit: ejusque columen Fatema labare visus est, & ad imitandi cupiditatem propendere. Stupebant ethnici, ac se se respectantes, orique manum admoventes, (hic admirantium apud illos gestus) exclamabant; Yata (hoc Regis Petri primogenito nomen erat, cui baptizato Michaeli fuit) Yata denique Christianus est! Ille verò non verbis tantum, sed factis Christianum se probabat esse. Deorum, quos antea colebat, effigies comminuit, evertit fana, vestigia omnia protrivit: è liberis denique natu maximum sacro fonte tingendum obtulit.

Juvenis Principis pietatem præsentis beneficio Superi munerati sunt. Feten-

te

\* Anno 1609.

te ac purulento laborabat ulcere, quod & celeris exitii metum incutebat, & vitam reddebat insuavem: quia carere hominum consortio cogebatur, fectoris gravioriter, liberatus; beneficium prædicare non cessavit, amicosque Principes hortari ad inanes & imbecillos Deos, quibus tandiu imploratis nihil profecerat, deferendos. Incidit haud ita multo post ipse Rex in gravem morbum: quem, sacras Evangelii voces super agrum sacerdote recitante, cum depulisset, rem publicis tabulis consignari iussit: ac similis beneficii consequendi spe dynasten Spiritui Sancto dudum resistentem perpulit ut manus agnitæ veritati daret. Cunctantem Deus variis periculis ac demum difficili morbo exercuerat. Adire laborantem Rex gravatus non est, exemploque suo urgere; sanitatem pollicitus, si Christum vocantem audiret. Audivit, baptizatusque subito convaluit. Medicus, è præstigiatorum natione scelerata, miraculo stupens, & *inhabitare Dominum Deum* in Christianorum Ecclesia confessus, animæ salutem sempiternam à saluari fonte ac doctrina petivit. Rex Toræ latus filii pietate, illum ad gravia quædam negotia componenda legatum ad Fatemam misit. Fatema Principem tam insigniter ab illo qui prius erat mutatum, summa cum voluptate amplexus, & in opinionibus præclara, quam de Christianis hauserat, valdè confirmatus, magnam superstitionis abjiciendæ, & meliora sectandi sacra voluntatem præ se tulit, ac discedenti Barreiræ armillam ingentem auream obtulit. Sed hanc ut acciperet exorari non potuit: professus aliud se nihil querere, quàm salutem Regis. Hæc abstinentia, hic opum contemptus, mirè barbaros capit. Suum filiolum inter Christianos adscribi Fatema haud invitus tulit; brevi, ut pollicebatur, secuturus. Ingens etiam momentum ad labefactandam superstitionis vanitatem habuit parta de quodam veneficorum duce victoria; quo nemo doctior, nemo in sacrilegis peritior mysteriis habebatur. Ab eo Reges petebant responsa, tanquam ab oraculo. Veritatis armis fractus in Christi ditionem concessit, ac multos secum traxit: neque alio certiore telo Rex Petrus ad frangendam ethnicorum pertinaciam utebatur, quam exemplo tam illustri. Nonne, inquiebat, vobiscum eadem simulacra & Numina Cubus (hoc venefico nomen ante baptismum erat) pridem venerabatur? nunc eadem incendit. Cur illum dubitatis imitari, quem toties ego, quem vos antea tam cupidè, tam fideliter, audivistis?

9.

P. Barreira varios Africanæ oræ portus utiliter lustrat.

Interim P. Barreira vocatus in insulam Sancti Jacobi, eò cursum direxerat. Reiectus in altum tempestate, sive potius divino nutu, prædones littora insule pererrantes effugit, alterumque tenuit portum è duobus, quos in hac Africæ maritima plaga Europæi maximè frequentant. Christianis expectatissimus advenit, quorum animos diuturna mysteriorum siti arentes recreavit. Inde in vicinum portum excurrit. Antequam oppido succederet, præaltam Crucem in portus aditu defixam adoravit; spectantibus, qui frequentes aderant, non modo Saracenis, verum etiam hæreticis, in eam plagam è tota Europa confluentibus, Hæc illi causa deinceps fuit explicandæ populo in ejusdem Crucis conspectu, doctrinæ Christianæ: in qua sic pueros erudiebat, ut Saracenorum & hæreticorum oculis lucem divini offerret: qua perstricti attonitique pendebant à dicentis ore, confertique in littore ac navibus audiebant. Id cum succederet è sententia, placuit pompæ nonnihil ac splendoris addere. Processerunt cum facibus Lusitani, præcuntibus pueris, & sacram doctrinam concinentibus. Secuti sunt, quod minimè sperabatur, ethnici Saracenis permisti: cumque per macellum iter esset, femine collectis & abditis in cistas mercibus, accessere. Brevi discussa fabularum, quas Beckerini spargebant in vulgus, inanitas: nam gentis perspicax ingenium est & comoda indoles: habitus honos religioni veræ; superstitio à multis deposita, mores emendati. Cacheum postea ventum est: quo in portu mancipiorum celebris mercatus. Hinc promiscua gentium colluvies & vitiorum, quibus infecti Æthiopes Christiani purissimæ legis nitorem facillimè inquinant. Eo utilior Barreiræ adventus voxque fuit. Ægrè itaque dimissus, promissis qui suas implerent vices Patribus, ad insulam S. Jacobi se retulit. Ibi Socios quatuor è Lusitania recentes offendit, quos è vestigio immisit in paratam messem: ipse in insula subsistit, & omnium

omnium sustinuit labores, auxitque onere novo tradendæ civium Iberis Latina lingua; quod vehementer ad divinam gloriam pertinere judicabat. Oratus ab amicis ut ætati & valetudini parceret (nam septuagesimum septimum ducebat annum) non acquievit: vitam, valetudinem, omnia in salute animarum abundè reperiens.

Magnum ad confirmandam religionem momentum attulit mors nequissimi circulatoris, qui cum Principem conaretur ab ea deducere, in ejus conspectu exanimis corruit. Non omiserunt Patres occasionem justitiæ divinæ prædicandæ, quæ scelerum pœnas non semper in futurum reservat; sed hic interdum graves & splendidas ab illustribus facinorosis repetit. Valuit exemplum divinæ severitatis ad extirpandas superstitionum fibras, quæ in perditissima gente radices altissimas egerant: locumque dedit Patribus docendi populum quanam & quam atroces pœnæ impiis essent post obitum apud inferos perferendæ. Inferorum enim supplicia, ne suspicabantur quidem: censebant animas post obitum evolare ad illum, ubi ejusque gentis numen degeret, locum; ibique, pro fortunarum modo, summum infimumve felicitatis gradum obtinere. His ebrii somniis ægrè ad veritatem aspiciendam evigilabant. Puerulum ethnicus parens sacro lavandum fonte in adem nostram detulerat. Ejus conjux domum reversa, postquam filiolum esse Christianum rescivit, tanto correpta est furore, ut illi cultrum in corpore defixerit. Tetrum facinus ubi Rex Toræ audivit, corpusculum in templo Societatis proponi jussit corona redimitum, accensis circum facibus, ac novercam detestabilem ad pœnas rapi: sed illa jam sceleris conscia diffugerat.

Hæc P. Barreiram stimulant ut infortunatæ genti subvenire vehementius cuperet. Itaque in Europam scribere ad Lusitanos suos non cessabat, ut ad colendum hunc Domini agrum concurrerent: abesse regionem tantum iter dierum viginti: subactum solum ac præparatum ad sementem Evangelicam: illuc frequentes commeare lucri causa mercatores, deportare indidem mancipia in ultimis terras ad perpetuam servitutem; qui verò in Christi libertatem ea vindicaret, neminem reperiri: Mahometanos instare, nulli labori parcere, ut populum falsa religione imbuerent: gliscere in dies latius infelicem sectam, & numero valescere; cessantibus Christianis, atque in veritate propaganda segnioribus, quàm istis in superstitione proferenda. Nec reticebat, ad incitandos lucri speculatores, varia commoda quæ colligi ex eadem regione poterant propter soli ubertatem, & salubritatem cœli. Sanè narrabant indigenæ ventorum vim ac turbinum, qui stragem antea & vastitatem afferebant, confedis penitus, ex quo divinum sacrificium his in locis celebratum, & consecrata vero Numini templa fuerant. Humus ipsa auro, argento, & ferro abundat: littora succino, & margaritis; agri cannis sacchari fertilibus; nemora procœris ad naves ædificandas arboribus, pice ad liniendas earinas, stupa farciendis earundem rimis idonea, cujus ea dos est ut semper viridis & quasi recens perduret; ligno demum rubro, insciendis pannis. Hæc & alia id genus emolumenta insitoribus Barreira suggerebat, satis gnarus humanas utilitates divinis interdum esse sociandas, nec defuturos legis Christianæ præcones, si mercatorum frequentia suppeteret. Aliis operarios Apostolicos rationibus longè gravioribus & stimulis urgebat: neque illos excitare cessavit exemplo magis, quàm verbo, donec felici complurium annorum labore perfunctus, ad ejus præmium evocatus est anno MDCXII.

Cum in illo summa essent omnia, quæ in Evangelii ministro desiderantur, tum verò præcipua vultus orationisque lenitas eminebat, quæ durissimum quemque frangebat, alienissimum conciliabat. Ejus precibus acceptam tulit victoriam Paulus Diasus anno post quingentesimum octogesimo quarto, cum multa hostium millia exiguis Lusitanorum Æthiopumque copiis profligavit. Quo tempore instauratum est vetus illud prodigium sacris litteris celebratum. Cum enim Barreira, commisso prælio, sublatis in cælum manibus, Deo pro suorum victoria supplicaret; eo vel intentius in oratione defixo, vel remissius, ita res melius detentiusve Lusitanis succedebat. Cujus rei fama permotus Lusitaniæ Rex suos in Angolana ora præfectos omnino vetuit, nisi consulto Barreira, quidquam decerneret,

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

T t t t

re,

IO.  
Guinea cur præ  
ceteris regionibus  
Evangelio  
imbuenda.

S. V.  
OBITUS P. BAL-  
THASARIS BAR-  
REIRÆ.

re, aut etiam deliberare. Illustriores fuerunt victoriae, quas à superstitione atque impietate idem Barreira reportavit; regibus ac dynastis ultro se illi Christo-rat se in insulam S. Jacobi, ad visendos sublevandosque homines Societatis ex Europa recens advectos, & coeli gravitate laborantes. Omnibus fermè in saluberrimas continentis regiones dimissis, in insula substitit, & ad labores ceteros curam scholæ puerilis adjunxit, Non illum ætas ingravescens, non incommoda valetudo, non difficultas ulla retardabat, ubi salus animarum agebatur. Quod cum multis in locis declaravit, tum verò docuit apertissimè, cum ante aliquot annos propter affectam senio & arumnis atatem coactus fuisset à Guinea discedere, Degebat Eboræ placidus, & attritas vires quiete necessaria reficiebat, quando Lusitanæ Rex de instauranda sacra in Guineam expeditione cogitavit. P. Antonius Mascarenia, provinciæ Lusitanæ præses, de præficiendis Missioni difficillimè hominibus idoneis anxius, id oneris imponere Barreiræ non audebat. Rogavit ipsum per litteras ut indicaret quos huic labori ferendo censeret aptissimos. Ille vero se paratissimum, necdum imparem esse rescripsit; nec moræ quidquam interpositurum quin Olisipponem pedes contenderet, in Guineam inde transiturus. Haud secus ac scripserat fecit, omnibus eximiam viri virtutem admirantibus. Elatus est funere amplissimo; magistratibus, atque ipso provinciæ prætore pulla veste prosequentibus, & oscula feretro repetita piè figentibus. Ejus vivi ac mortui non pauca miraculis simillima narrantur. Hoc unum quod modo referam, multorum testimonio confirmatum est. Barreiræ vestem detritam nautæ asseverabant in navigio. Vela facientibus ingruit immanis tempestas. Post omnia tentata, ut ventorum marisque frangerent iram, cum nihil succederet, apud Deum fidelis ejus servi nomen ac merita interponunt supplices, illiusque vestem à proxi expandunt. Cecidere venti: stetit mare placidum, & nautæ secundissima navigatione sunt usi.

S. VI.  
RES GESTÆ IN  
REGNO MONO-  
MOTAPÆ.

Infra Guineam longè, quâ in apicem Africa contrahitur, Monomotapæ regnum jacet. Illuc è Societate anno MDLIX. atque aliis subinde temporibus militiæ cohortes Apostolica vix quidquam præter honesta vulnera necemque reportarunt. P. Confalvus Silveria perierat Saracenorum dolis. Rex agnita viri probitate & innocentia, meritas à percussoribus expetierat pœnas, & Goa missos anno sequenti Patres Petrum Tovarem & Ludovicum Goem perhumaniter acceperat. Eos tamen octo post annis revocari Goam placuit, cum Sebastianus Lusitanæ Rex bellum in Regem Monomotapæ, ob necem P. Confalvo illatam, aliasque causas pararet. Lusitanas, quæ bellum in Africam deportabant, copias comitari PP. Franciscus Monclarus & Stephanus Lopes, non diu ibidem constiterunt; Francisco Barreto, qui exercitui præerat; mox Fernando Monroyo, extinctis veneno, ut fama fuit. Sed anno MDCIV. Christianorum litteræ ac preces, opem à Patribus Societatis enixè postulantium, pristinam spem redintegrandæ Missionis excitantur. Nihil tamen confici, propter Batavorum classem hæc maria cooperantem, potuit. Demum anno MDCVIII. visi sunt Superi opportunam rei melius gerendæ occasionem ostendere. Monomotapæ Rex conjuratione suorum & insidiis appetitus Lusitanorum fidem imploravit: illorum armis fregit perduelles, & beneficii memor, celebres argenti fodinas defensoribus capitis & regni sui donavit. Missos ad incundam regii muneris possessionem Lusitanos secuta est læta Patrum manus, tanto majori spe religionis feliciter administrandæ, quanto erat factio Saracenorum debilior, qui cum olim apud Regem possent omnia, nunc ab ejus amicitia divulsi, & bello attriti, precarium agrè spiritum ducebant. Rursum oblata uberioris quæstus & commercii spes anno MDCX. accendit Lusitanos ad classem copiasque submitendas. Prætor addidit militaribus turmis Patres è Societate sex, Navis prætoria cumulo arenarum per incuriam gubernatoris allisa est. Subito conjectæ in fluctus merces; facta Superis omnibus vota. Navarchus relicto gubernaculo, ejulans ac pudore vecors desperationem & luctum incendebat: quippe tuta omnia & salva promiserat, sereno coelo, & tranquillo confusus mari. At ubi paulatim subsedit relabens æquor, & spes aliqua salutis affulit, pro

pro se quisque continuò in uliginosum desilire littus, omnia omittere; præter arma pauca tutandæ, si res posceret, vitæ. Ægri properare, ac vado se alacres committere. Tantus miseris mortalibus lucis amor!

Restabat è Casrorum gente adolescens: quem conantem frustra erumpere detinuit morbus. Hunc P. Alexius imposuit humeris, ac per duodeviginti passuum millia non sine gravissimo periculo deportavit, sæpè ex arenis eminentes pectore tenuis, sæpè offendens ad cautes & corallia, quorum acuti ramuli crura pedesque lacerabant. Nec dubium quin ea caritas illi vita steterit, ut modo referemus: nam inde contracto morbo paulo post interiit. Sed tanti est studiosis animarum sic perire. Casri ad ratis naufragæ rumorem exciti concurrunt: à Patribus munusculo deliniti scapham obtulere, cujus ope pars vectorum, in limosa vadosi littoris arena hærens emerit impune. P. Alexius, quamvis agro corpore, pervenit in regni Monomotapæ primariam civitatem; ubi æterna civitate, quod speramus, ac vita donatus est. Quæ fuerit viri virtus satis declarat vel hoc unum caritatis eximia specimen, quod modo retulimus, cum se in maximum vitæ periculum conjecit, ut Æthiopico mancipio ne deesset. Eiusdem præclarum quoque facinus, dum adhuc pænè puer esset, proditur. Cum enim fugam à seculo meditans, receptum in Societatem pararet, ocludique viam sibi cerneret à parentibus, unicam nobilis familiae prolem nitentibus retinere; ipse coopertum fordibus & illuvie puellum in platea deprehensum arripuit, duxit domum, & patris matrisque genibus affusus; En, inquit, vocat me Christus JESUS in Societatem suam: pauperculum hunc puerum accipite meo loco: hic filius vester erit. Attoniti hac oratione majorem in modum parentes & percussi, ratum esse quod petebat, jusserunt: & adoptato puero, filium suum Deo læti lubentesque donaverunt. Ab his initiis progressus, perfectam religiosi hominis imaginem in suis moribus studuit effingere. Spirabat in ejus vultu, sermone, incessu habituque suavissimum angelicæ castimoniam odor, quem etiam adeuntibus afflabat. Hunc assidua fovebat contemplatione rerum divinarum; in ea pervigilare noctes totas solitus, præsertim quæ festis insignibus præcurrebant. Cum verò hos ille candidissimus nisi inter spinas non alatur, eum sepere ciliciis, flagellis, jejuniis, omni vexandæ carnis acerbitate conabatur: imo, Gox cum esset, reperio hanc factam ab eo, non sine moderatorum concessu, cum duobus amicis, qui tunc in eodem collegio versabantur, doctrinæ pariter ac perfectionis religiosæ studiosis, pacem ut unus è tribus hebdomada una præciperet aliis duobus arbitrato suo quidquid est, à quo natura vitiosa plurimum abhorret; quidquid inurere dolorem, privatim, aut publicè ignominiam potest: tum alius, itemque alius, mutatis vicibus, idem in reliquos duos imperium & amicam severitatem exerceret. Ut se Alexius noster idoacum ad procurandam salutem animarum præstaret, quatuor linguas perdifficiles didicerat, Arabicam, Persicam, Chaldaicam, & Abissinam. Ita instructus mari se commisit, ut Christianis mysteriis Æthiopas erudiret: quo in itinere per illum non stetit quin vetus Divi Mauri exemplum renovaretur. Adolescens è navi ceciderat in æquor, fallente vestigio: hunc ut ereptum iret, expeditus illico Alexius apparuit: eratque se daturus in undas præcipitem, nisi caritatem obedientia frenavisset. Paucis post ejus obitum diebus P. Suares eandem urbem incolumis attigit: sacras aedes variis in locis extruxit, & in omnem inducendæ firmandæque religionis industriam vigiles curas, cum Sociis, intendit. Quanti sint fructus consecuti docet ipse in litteris anno sequenti scriptis, in quibus trecentos quinquaginta ethnicos ad Christi Fidem conversos, restitutam in Christianis morum sanctimoniam, sparsam ubique salutarem doctrinam significat. Meminit in iisdem de sene centum & viginti annos nato, qui baptizatus olim à P. Gonsalvo Silveria, necem illi à barbaris illatam magno cum sensu pietatis renarrabat.

II.  
P. Joannis Pauli  
Alexii caritas, &  
aliæ quædam  
virtutes.

Quæ hætenus in regnis Congano, Angolano, & Monomotapæ gesta narravimus, pertinent ad Æthiopiam inferiorem, sive improprie dictam, quæ occidentalis & meridiana Africa partem complectitur. Æthiopia proprie dicta, sive superior, ab Ægypti limite versus Erythræum sinum, & inde in interiorem Afri-

S. VII.  
RELIGIO PROPAGATA PER SOCIETATEM IN ÆTHIOPIA.

cam circa fontes Nili funditur. Abissini vulgo appellantur ejus incolæ. Christi legem ab eunucho reginæ Candacis, quem in Actis Apostolorum à Philippo diacono baptizatum legimus, se accepisse gloriantur. In Eutychetis ac Diolcori hærefes deinde prolapsi, suos antistites ab Alexandrino Patriarcha sumplerunt. Post celebratum Florentiæ concilium Oecumenicum, in quo Græci, Armenii, Jacobitæ, alique præcis erroribus imbuti, eos abjecerunt, ac Romanum Pontificem Christi Vicarium, doctoremque Christianorum & caput unicum agnovere, David qui Onag-Seguedus, & Lebna Denguil, est appellatus, Abissinorum Rex \* missum ab adulterino Alexandriæ Patriarcha præfulem repudiavit; & Clementi VII. per legatos solenne obsequium detulit. Ejus filius & successor Afnaf-Seguedus sive Claudius, religionis pristinum splendorem exolevisse vehementer doluit, & cognita Lusitanorum pietate ac fortitudine, scripsit ad Joannem III. Lusitaniam regem, ut à Romano Pontifice legitimum & orthodoxum Patriarcham, quo Abissini regerentur, impetraret. Rex ejusmodi litteris & amplificandæ Fidei speciosus, Patres aliquot à Fundatore Societatis jam inde ab anno MDXLVI. petierat. Ignatius haud minori studio religionis propagandæ flagrans, negotium incredibili ardore arripuit. Nihil tamen perfici potuit ante annum MDLV. quo B. Pater tres virtutis emeritæ viros Joannem Nunnium Barretum, & Melchiorum Carnerium Lusitanos; Andream Oviedum Castellanium, Regi nominavit: quorum uni Patriarchæ munus mandaretur, alii ejus essent adjutores; ac, si quando esferret, successores. Creatus est, de Regis & Ignatii sententia, Patriarcha Nunnus; Carnerius vero & Oviedus Episcopi, hic Hierapolitanus, ille Nicænus.

Dum hæc in Europa geruntur, Petrus Mascarenia Indiæ Prorex, faciendum censuit ut in Æthiopiâ certi præirent, qui explorarent Imperatoris animum, & adventum Patriarchæ comitumque nunciarent: tum ne quid perperam susceperetur, tum etiam quod inurbanum habeatur apud Æthiopas & nefarium, si legatus Principis ad eos accedat silentio, neque antea de suo adventu significet. Decernitur legatio Jacobo Diazio, eique duo Societatis homines adjunguntur. In Æthiopiâ pervenerunt anno MDLV. Kalendis Junij. Ad Imperatorem admittuntur vel improborum consilio, vel ingenii mobilitate, reperunt. Pauca perplexè atque anxie locutus, ad Lusitaniam Regem scripsit nulla se ratione posse aut Societatis sacerdotes accipere, aut Romani Pontificis auctoritati parere. His auditis, omnique ad regiam aditu obstructo, Patres de reditu cogitarunt. Antea tamen summam quandam catholicæ doctrinæ conscriptam, & refutandis Abissinorum erroribus idoneam obtulerunt Imperatori. Quam ille cum inlaxisset, indignabundus exclamavit falsò Æthiopibus errores illos adscribi: & Abuna (sic Patriarcham suum Abissini vocant) proposito anathemate vetuit ne quis librum illum attingeret. Dissentiebant aliquot monachi, & summis laudibus extollebant opusculum, in quo gentis errores perspicuè refutari contendebant. Imperator monachorum suorum iram & populi tumultum fugiens, suppressendum librum curavit, ac veniam abeundi Patribus dedit. Interim Olisippone profectus Patriarcha, & in Indiam delatus \*, cognovit mutatam rerum faciem, & animum Imperatoris à recipienda legatione alienum. Visum est, ne quid temere committeretur, Andream Oviedum cum Sociis aliquot eò præmittere, qui viam Patriarchæ muniret. Adventantes excepit Imperator non inhumaniter, quippe liberali & commoda præditus indole; sed animo in erroribus obfirmato: ut continuo patuit, cum rogatus ut convocari theologos suos & disputare pateretur, interfuit: neque tantum testis locum, sed doctoris etiam, ac penè pugilis partes contra catholicos sacerdotes sustinuit. Eruditos coetus abruptit Turcarum incurso, qui per eos dies in Erythræum invecsi sinum omnia metu cladibusque compleverunt. Cum iis Imperator temerè congressus, fufus ac trucidatus, justas ultori Deo pertinaciæ penas dedit.

Successit illi frater \* (liberis enim carebat) qui captus olim à Turcis, & Mahometanam sectam amplexus, in Christianos sævire statim cœpit, ac ne quis adiret Lusitanorum templa prohibuit: quosdam è populo catholicam profiteri Fidem palam ausos verberibus affecit; quosdam morte multavit: postremo Andream Oviedum

\* Regnare cœpit anno 1507. Obiit an. 1549.

\* An. 1556.

\* Adama-Seguedus, alio nomine Minas. Regnavit ab an. 1559. ad 1564.

Oviedum ejusque comites in asperam solitudinem relegatos tenuit sex mensibus velut in custodia; illique omnem cum populo de religione sermonem interdixit. Erupit sub idem tempus \* immanis procerum adversus illum conjuratio. Ab iis victus: capti Patres, spoliati, & ignominia sunt affecti. Accessit ad majoris cumulum Patriarchæ Joannis Nunnii Barretti obitus; qui pios inter labores, ad propagandam in India religionem susceptos, decessit Goæ anno MDLXII. decimo Kalendas Januariæ.

In ejus locum è duobus à Pontifice designatis successit Andreas Oviedus, qui tunc in ipsa Aethiopia versabatur. Ille, cum Abissinorum perfidia & gravissimis ærumnis diu luctatus, accit à Pio V. litteras, quibus jubebatur, cum primam opportunitas adesset navigandi sine periculo, transferre se ad Sinas vel Japonas, & sterilem Aethiopiam omittere. Pontifici respondit Oviedus, potestatem impune navigandi, ob Turcarum crebras incursiones, & civilia quæ permiscebant Aethiopiam bella, dari nullam. Interesse plurimum Religionis ut aliquis reliquias catholicorum inter Abissinos sustentaret: sibi nihil optatius accidere posse quàm pati pro Christo, & si res ferret, mori. Hoc animo remansit, annuente Pio V. in vicus Præsul, inter assiduos necis metus, feliciora speratæ messis tempora expectans, & catholicos per se sociosque modis omnibus adjuvare non desistit, donec illum ipsi eripuit calculi dolor anno MDLXXX. tertio Kal. Julias, virtutibus ac miraculis non obscuris insignem. Ad ejus tumulum factus est subito concursus ingens, etiam schismaticorum, qui ablatum ex eo pulverem suis & armentorum morbis salutarem esse testabantur. Oviedo ut succederet Melchior Carnerus, Nicænus Episcopus, constitutum olim fuerat; sed cum Carnerus à Pio Quinto Ecclesiæ Sinicæ ac Japonicæ præpositus fuisset, edixit Gregorius XIII. ut Aethiopicæ Patriarchæ nomen & potestas ad eum è Sociis deferretur, qui nostris illic præesset. Is erat P. Emmanuel Fernandus, qui cum duobus è Societate pusillum catholicorum gregem fovebat. Oviedum ille fuerat secutus in Africam cum aliis quatuor è Societate, nimirum Andrea Gualdamezio, Gundifalvo Cardoso, Antonio Fernandæ, & Francisco Lope. Emmanuel Fernandus imposto munere aliquandiu strenuè functus, obiit anno MDLXXXIII. non LXXXV. ut alicubi scribitur. Andream Gualdamezum, sive Gualdanium, aut Gualdarum, Turcæ odio Christianæ religionis incensi jugularunt anno MDLXII. haud procul Arkico. Gundifalvus Cardoso anno MDLXXXVI. à latronibus exceptus periit, cum iter esset ingressus ad ministranda catholicis sacramenta. Antonius Fernandus paralyti confectus decessit MDXCVI. sexto Idus Martii, ætatis septuagesimo secundo. Audierat graviter ægrotare Lusitanum quendam procul in urbe Nanina. Pergit ad eum pedes, per invios asperrimosque montes, solatur, expiat; neque illum tantum, sed complures Lusitanos & indigenas, oblata præter spem occasione usos, sacramentis reficit. Redeuntem, & coactum in subterraneo specu pernoctare, morbus, & mors paulo post occupavit Fremonæ, quo in oppido catholici ut plurimum degebant.

Ibi solus restabat Franciscus Lopes, annis pariter laboribusque fractus: qui cum antea subsidium Sociorum ex India Lusitaniaque sæpe flagitasset, missi denique fuerant, adhuc superstite Antonio Fernandæ, PP. Antonius Monferratus & Petrus Pæzius; Castellanus hic, ille Catalanus. Dium delati, deinde Armuziam, exeunte anno MDLXXXVIII. dum peterent Zelam (locus est in intimo sinu Arabico) à prædonibus abducuntur ad Omarum hujus regionis tetrarcham, apud quem in vinculis fuerunt menses quatuor. Ubi captos rescivit Hassanus, Arabiæ Ottomanicæ præfectus, utrumque arcessit. Interrogatos, & patriam ingenuè fassos, tanquam exploratores, cum vili mancipiorum grege operi faciendo addidit regis in hortis: ubi, si qua durissimi laboris intermissio dabatur, eam in pietatis exercitationibus, quas ferre poterat ejusmodi conditio, nec non excolendis sex ac viginti eodem damnatis labore Lusitanis, & aliquot Christianis Indis, collocabant. Præterierat biennium, nec spes ulla suberat libertatis, cum ex improvise affulsit lætissima. Hassani præcipua uxor genus à Christianis ducebat, & iis favebat clam. Commiseratione Patrum capta, illos per eunuchum Chri-

An. 1561.

12.  
Andreas Oviedus Aethiopiæ Patriarcha. Ejus facii & successores.

13.  
PP. Ant. Monferratus, & Petr. Pæzius, dum Aethiopiam petunt, à piratis capti.

Christiano pariter nomini deditum, monendos curat venturum in hortos Hassanum certa post meridiem hora; se quoque adfuturam cum sexenni filio: huic flores, fructus, & aliquid ejus generis offerant, quod patri monstrare puer possit. Ut erant moniti faciunt: corollam è floribus fructibusque scite contextam, offerunt nobili pupulo, qui eam patri pueriliter gestiens porrigit. Postridie idem puer compositum à matre supplicem libellum Hassano, in gratiam Patrum, bellissimum pronunciat. Gratiis prolixè persolutis, colligebant sarcinulas, cum subito confiliter jubentur. Mahometanus mercator, dum in Monserrati sarcinis sacerdotales quoddam amictus curiosè scrutatur, conjectavit Episcopum illum esse. Certiorem ex templo Hassanum facit de conjecturâ: posse Lusitanos istos grandi pecunia redimi, nec ita facilè dimittendos. Mutatâ per avaritiam sententiâ, barbarus utrumque retinuit.

14.  
Eorum loco mittitur ad Æthiops P. Abrahamus Georgius.

\*Lib. XVIII. n. 2.

Id ubi Goæ cognitum per Lusitanos aliquot ex Arabia reverbos, de mittendo in Æthiopiam supplemento deliberatum est. Huic loco & muneri apissimum putavit P. Abrahamum de Georgiis, seu Franciscum Georgium, Prorex Indiæ Matthias Albuquerque: egitque cum Patribus Goanis ut eo mitteretur, Arabicè nimirum linguæ & nationum istarum gnarus. Nam oriundus erat à Maronitis, qui Libanum montem incolunt, & Alepi natus Romam venerat; ubi pietate ac literis excultus in Maronitarum collegio Societatis, eam erat ingressus exeunte anno MDLXXXII. ætatis ipse annus agens vigesimum. Ibidem creatus sacerdos, ac decem post annis in Indiam profectus, operam inter Thomæos utilem, at laboriosam, navavit aliquandiu. Mox, cum Imperator Mogolum Evangelicæ Societate copias postularet\*, delectus est ad eam expeditionem: ac demum data, quam dixi, occasione missus in Æthiopiam, cum Abissino quodam collegii Goani famulo. Porro tam graphicè vultum mercatoris & sermonem assimulaverat, ut ab Indiæ Prorege agnitus non fuerit; cum discedens eum, salutandi causa, sub initium anni MDXCV. convenisset; diuque Prorex inlitorum arbitratus, fabulâ tandem relectâ, errorem suum festivè riserit. Jactatam diu procellis navim ægrè appulit ad Mazuam, Erythræi maris insulam, littori Abissino femè junctam. Ea pridem à Turcis tenebatur, quorum præfectus trajiciendi potestatem, & mercas Asiaticas (id enim præferebat inlitoris habitus à P. Georgio adscitus) in Æthiopiam deferendi non difficile principio fecit: verum missis militibus revocari statim illum jussit. Sunt qui scribant proditum à nauclero; qui, cum ipsum à Lusitanis observari majorem in modum cerneret, suspicatus est virum esse principem, aut Christianum sacerdotem, præfulemve. Alii accusant imprudentiam & ingluviem Abissini adolescentis, qui Patri datus comes fuerat. Is enim solenne Turcis jejuniu violare palam ausus, Christianæ religionis suspiciõnem præbuit. Atrepti ambo conjiciuntur in carcerem. Adolescens fustibus cæsus indicat proditorem P. Georgium; Christum denique turpiter ejurat. Accitus Pater Syrum se, Christianum, sacerdotem, præconem Evangelii profitetur. Neque dubitasti, subdit præfectus Turcicus, ita nobis imponere; teque alium, atque es, mentiri? capite scelus lues: necem actutum, aut Mahometanam legem, elige. Utram optas? Necem, respondet ille. Quamlibet inferas, in lucro ponam. Responsi fiduciam miratus Turca, vinculis onerari sacerdotem interritum jubet.

S. VIII.  
P. ABRAHAMUS  
GEORGIUS MAHOMETEM  
DETESTANS NECATUR.

Post dies paucos arcessit solum; blanditiis & promissis vincere medians, quem metu supplicioque superari posse diffidebat. Per me licet, inquit, Christum animo retineas, quem olim ipse colui: at ore saltem confitere Mahometem. Mussulmanorum convocabo cras cœtum: aliquid ibi carminis in ejus honorem, pro more, concinetur: vocem canentibus adjuuge. Parata sic tibi libertas, vita, opes: patronus in me certus & amicus erit. Egone, retulit invictus Christi testis, meum ac tuum olim, quod fateris, Christum prodam? Ecquid est, quæso, cur nos tam sanctæ, tot miraculis confirmatæ, tot probatæ rationibus Fidei religionisque pœniteat? Quid esse tanti potest, ut sempiternæ vitæ præmia, quæ suis cultoribus Christiana lex offert, contemnuntur? Quin te ipse potius respicis, & in viam, à qua malè deerrasti, redis? Concionatorem minime  
expe-

expectatum victus veritate barbarus non tulit; ac superbo spretum risu in carcerem rerufit. Convocatis aliquanto post iudicibus e ductum è custodia sistit, imperatque ut Mahometem Dei Apostolum profiteatur. Ego vero, exclamat Abrahamus, Christum Dei filium Deumque credo & colo: Mahometem istum, quem tu prophetam & magnum virum prædicas, præstigiatores voco & execror. Incensus ira præfectus prosilit, & acinace districto cervicem invadebat. Abductum Patrem, satellites obruncarunt. Sic enim P. Capralis disertè scribit in suis ad Claudium Aquavivam litteris: ita P. Petrus Paezius fusè narrat in manu scripta, quæ in tabulario Romano servatur, Aethiopica historia. Hoc ipsum in edita docet P. Emanuel Almeida, quorum nobis auctoritas potior est, quam aliorum, qui affirmant à barbaro statim trucidatum fuisse.

Carnificis gladius, ut oculati testes retulerunt, primo ictu, cervice penitus illasa dissiluit. Alter acinaces, hebetata ferri acie, bis ictum, nullum tamen vulnus infixit; cutem tantum summam perstrinxit: donec felix victima confirmato, qui stupefactus hærebat, tortore, collum tertio & fortunato gladio præcidendum obtulit. Incidit fortissimi viri mors in finem Aprilis, aut initium Maii anni MDXCV. ætas adhuc florens annos duos tantum & triginta numerabat. Cadaver abjectum extra civitatem, accensis divina luce facibus, & in coronæ fidereæ morem compositis, per dies quadraginta collustratum fuisse perhibetur; nec non à candidis quibusdam alitibus ignotis, contra ferarum prædæ inhiantium ac volucrum impetus defensum. Auctores quoque mortis ejus ante quadragesimum ab illa diem miserè peritisse fama tulit. Præfectus in primis Turcicus, agnito scelere, illius culpam in alios conjicere non semel est auditus, seque *innocentem à Iusti sanguine frustra proclamare*. Tam gloriosa neci vita, virtusque Patris Abrahami haud sanè vulgaris præluserat. Satis constat ipsum in cunis adhuc vagientem maternis uberibus quarta & sexta feria sugendis abstinuisse: postquam deinde cooptatus fuit in Societatem, semel tantum diurnum cibum, ac parcissimè, sumpsisse: rerum divinarum contemplationi fuisse insigniter deditum: multa, quæ sunt eventu comprobata, prædixisse: animorum arcanos sensus introspexisse: ac demum de parato sibi in Aethiopia bravio divinitus cognovisse, cum ad Sanctæ Irenes ædem, in Hispania, pietatis ergo se contulisset.

Requiret aliquis fortasse quid factum sit binis Patribus Monserrato, & Paezio, quos in Arabico constrictos ergastulo reliquimus \*, cum illis subrogandus Pater Georgius advénit. Hassanus oræ, ut ibi diximus, Arabica à Turcarum Imperatore præpositus, captos inhumaniter tractabat, citius cariusque sic redimendos existimans. Cum nullam de pretio redemptionis mentionem facerent, ambos ad emporium celebre deportari voluit, ut ibi venundarentur. Venales substituerunt mensibus tribus in navigio & remigum turba, dati cum illis ad remum, & præfecto remigum usi crudelissimo; qui olim in Christianis trirēmis pessimè, ut ipse fatebatur, habitus, parem gratiam referebat. Monserratus ærumnis tot ferendis impar agebat animam: itaque labore nautico parumper levatus, ac Paezio, qui languentem curaret, traditus est. Celerius opinione convaluit, non tam remediorum opportunitate & Paezii cura, quàm inopinati nuntii lætitia. Mercator Mahometanus, Albuquerque Indiae Proregi fidus, eos quocumque pretio in libertatem vindicare iussus, clam hoc ambobus significat. Quo certior ac viciniorem viderunt libertatem, eò minorem illius cupiditatem præferre studuerunt. Ostentabant attrita verberibus & fame corpora, mortuis quam spirantibus propiora; inutiles artus; vitam exigua pendente spe. Nihilominus aiebant esse mercatorem Mahometanum, qui non recusaret fortasse aliquantum nummorum largiri: at mortem sibi jam videri potiorē libertate; cujus fructu, post tot ærumnas, gaudere diu non possent. His sermonibus permotus institutor, qui vendendos Patres sumpserat, metuens ne utrumque tandiū frustra servasset, ac morbis maloque consumptos penitus amitteret, acceptis mille nummis Goam liberos dimisit.

Haud ita multo post è custodia corporis in plenissimam vitæ melioris libertatem excessit \* P. Franciscus Lopes, sive Lupius, postremus sociorum Patriarchæ

15.

Patres Monserratus & Paezius Goam, libertate donati, repertunt.

\* *Suprà num. 13.*\* *Mense Maio 1597.*

16.

P. Franciscus  
Lopez, ultimus  
sociorum Patris  
Oviedi.

cha Aethiopiae Andreae Oviedi, quem in omni virtutum genere per annos viginti sic erat imitatus, ut ejusdem expressa spiransque imago videretur. Laboris cujuslibet non solum patiens sed avidus, eo sempiternam quietem redimi dicebat. Inedia, verberibus, ærumnis attenuatum perustumque sic habebat corpus, ut solis ossibus pelle amictis constare videretur. Ceteris Socii vita functis, quid erat domi egenis dispertivit: cumque fartum stramine ac tomento saccum ab amico accepisset, quem humi cubans supponeret capiti, illum continuo pauperi largitus est. Sæpe visus inter sacrificandum aut orandum fuit tanta perfusus luce, ut oculos intuentium præstringeret. Cum gravi confectus morbo jaceret, ac panem conclamatus, ingens catholicos incescit maror & sollicitudo de sui sacerdotis jactura, qui unus tanti gregis pastor supererat. Eorum precibus victa Numinis bonitas, illum ipsis sanum valentemque restituit. Pergit confectum in eadem sacram, & peracto sacrificio frequentes attentosque sic alloquitur: Veneram ad finem laborum, vocante Deo: reddidit me vobis in biennium. Quamquam exacta jam ætas, & vires effectæ animi vigorem quoque magna ex parte obtulerint, nihil tamen prætermittam, in quo vobis omnibus, ut hæcenus feci, commodare possim: date vicissim operam ut vos divinis beneficiis minimè indignos ingratosque præbeat. Instabat biennii prædicti finis; eosdem rursum vocans, de meta quam proximè tangebatur, admonet: septem sibi dies duntaxat superesse: ne contentur proponere si quid habeant quod agere cum ipso velint, ac opera sua ferrent uti: venturum ad ipsos sacerdotem anno vertente: interim in doctrina Ecclesie Romanæ & obedientia perstent; ab hæreticorum consortio, colloquiis & connubiis diligenter abstineant; justitiam, & pietatem sectentur; pacem denique & concordiam inter se retineant. Hæc elocutus, definita die mærentes collacrymantisque supremum valere jussit: necdum evoluta ab ejus morte anno sacerdos promissus, Melchior Sylva, Mazuam subiit; indeque ad Abissinos transfrens, fidem à P. Lupio catholicis datam adventu suo liberavit.

S. IX.  
ÆTHIOPICA  
MISSIO FELICIS  
REPETITA.

Hunc Patres Goani, cognita P. Francisci Lupii morte, submiserant, qui regionis exploraret statum, & secuturis Evangelii præconibus iter in Æthiopia aliquod aperiret. Omnes enim aditus à Turcis clausi obstructique tenebantur. Arkicum usque progressus impune, quod oppidum est in Australi maris Erythraei littore, postquam se Saracenis quibusdam suspectum sensit, mature in proximam Aethiopiae urbem ad Lusitanos profugit. Ab iis amantissimè acceptus multa, quæ in ipsorum mores, per sacerdotum penuriam & solita cum schismaticis commercia irreperant, emendavit, viamque indicavit, qua Societatis Patres deinceps in Æthiopia facile, ut arbitrabatur, penetrarent. Commodiore aliam ac tutiorem ipsimet Turca obtulerunt. Hoc nempe divinae providentiæ ingenium est, ut hostes sæpe suos consiliis suis servire jubeat. Africanæ secundum Erythraei maris littus ora præfectus Turcicus onustam mercibus navim miserat Diu: navi præerat Rezoanus Turca, præfecto præcipue carus, & moribus commodissimis ac minimè Turcicis. Hunc oblatum sibi divinitus Patres putaverunt, ut iter ipsi in Æthiopia expediret. Muneribus hominem devinciunt, obligant beneficiis: agunt cum arcis Diensis præfecto, ut eundem omni ope demulceat. Rezoanus captus humanitate tanta, petentibus præfecto & Patribus Societatis haud gravatè assensit ut acciperet in suam navim Christianum Armenium, ac deducendum tuto in Æthiopia curaret. Accepit illum ultro, promissitque se daturum operam, ut Patres beneficiorum, quæ in se contulissent, minimè peniteret.

\* Anno 1595.  
Suprà, num. 18.

Armenius ille Pater Petrus Pæzius erat; ante annos novem \* missus ad Abissinos cum P. Monserrato, & à Turcis captus, uti narratum est. Donatus libertate post durissima sex annorum vincula, nunquam tamen revisendæ cupiditate Æthiopiae, ac ne spem quidem, abjecerat. Occasionem lætus arripuit, & mutata in pauperis Armenii cultum veste (nam Armenios Turca, quamvis Christianos, levius ferunt) cum Rezoano solvit XI. Kal. Apriles MDCIII. & incolomis ignotusque, Mazuam sinus Arabici portum & insulam attigit: cujus præfecto commendatus, amplissimam quocumque vellet pergendi potestatem obtinuit. Ab hac insula solennis est via rectaque in Æthiopia superiorem, quæ circa Nilum

Nili fontes longè protenditur. Viæ duces Rezoanus Paezio dedit Saraenos duos, locorum peritissimos, cum litteris commendatitiis ad urbium, per quas erat iter, gubernatores. Profecti III. Nonas Maias, inaccessos montes, ut prædonum insidias vitarent, festabantur. Ab inedia, imbribus; cœli, modo æstuosi, modo perfrigidi, varietate; ferarum etiam incurfibus, multa perpeffi, VI. Idus ejusdem mensis venire Baroam. Ea in urbe obvium habuit Paezius prætorem Lusitanum, quem de suo adventu fecerat certiore. Post mutuos amplexus, Fremonam ambo perrexerunt. Hæc itineris difficillimi meta: hic ædem sacram habebant Lusitani: ac tumulo Patriarchæ P. Andreae Oviedi oppidum gloriatur.

Ubi primùm religiosa & sacerdotali in veste, quam hastenus tectam habuerat, conspèctus est Paezius, occurrit sublato clamore populus: alii profusis lacrymis & plangentes pectora, alii solum ore pronò petentes, gratias agebant Superis, quod sacerdotem ad se se, tot inter pericula & incommoda, sospitem perduxissent. Ille templum ingressus significavit venire se, ut ipsis aliquid opis & solatii impertiret: laudavit quòd in medio nationis præva catholicam Fidem ac pietatem retinerent; & ut pergerent porro, cohortatus est. Inde ad visendam P. Andreae Oviedi domunculam se contulit, ejusque caput Goanis Patribus misit. Postremo cum indigenis de religione collocutus, induxit non paucos ad deponendos errores. Sed cum intellexisset ab nutu Imperatoris omnia pendere, à quo religionem & mores vulgus sumit, ad eum scripsit, veniamque ipsius conveniendi postulavit. Post obitum Imperatoris Adamæ-Seguedi, rerum in Aethiopia, potius erat ejus filius Malac-Seguedus. Is anno MDXCVI. extinctus successorem habuit Jacobum Malac-Seguedum: qui Principum aliquot avaritiam ac libidines frenare aggressus, ab iis in exilium pulsus & in vinculis habitus est, suffecto in ejus locum Zadenguile, Adamæ-Seguedi nepote; cujus nomine ac facilitate sperabant abuti se posse ad pristinam icelerum licentiam. Spes illos sua fefellit. Zadenguil perduelles ac proditores averfatus, illorum concitavit odia, quibus Princeps probus ac sui dissimilis placere non poterat. Itaque anno vix elapso ab iisdem circumventus opprimitur, & Jacobus Malac-Seguedus ab exilio revocatur. Ille, auditis quæ de P. Paezio totâ jam Aethiopiâ percrebuerant, litteras ad eum dedit in hanc sententiam: *Epistola regis Malac-Segued, ad honoratum Patrem Lusitanorum, cum Dei pace, perveniat. Audi de te multa, & hoc beneficio Numinis delatum letor. Septem annos hæsimus in vinculis: erumnarum, quas pertulimus, numerum inire solus Deus potest: illis nos exemit, & in solio collocavit: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Quod cepit in nobis, ipse perficiat. Audi porro. Leges, & jura quæ populo suo dat Lusitania Rex, cognoscere cupimus: earum volumen tecum affer, simulque Patriarchæ libros; & ad nos propera. Vale.*

Festinantem obsequi P. Paezium retardavit Galarum irruptio repentina. Natio Caffrorum est insigniter crudelis. Ex Africa inferiori parte quæ ad Austrum & promontorium Bonæ Spei vergit, proruperant, excidium Aethiopiæ domesticis motibus jactatæ, meditates. Vastitatem, cædes, incendia latè sparserant: & agros pagosque vicinos Fremonæ populati, imminabant oppido. Paezius sacram supellecilem asportans, mulierum & puerorum, quæ sola ferme restiterat, imbellem turbam in altissimum eduxit montem; ubi dies octo latuerunt. Hostes interim, debellatis duobus regis ducibus, Imperatorem ipsum adoriuntur acie instructa. Jam agmen primum disjecerant, cum Imperator ex equo defiliens, & stipatus fida Lusitanorum, qui soli barbarorum sustinebant impetus, manu, irruit in adversos; revocatisque in pugnam pudore copiis, cecidit partem hostium, partem in fugam conjecit. Gratulaturus illi Paezius accurrebat, cum Tigræi regni Proregem ad aulam pariter properantem offendit. Summa benignitate Patrem complexus Prorex sæpè convivam adhibuit; illi cibum in os ipsemet aliquando inferens: quod eximia apud Aethiopum Principes amicitia argumentum censetur. Aures etiam libentissimè præbuit Lusitanis pueris, doctrinam Christianam recitantibus. In ea porro sic præcipua Fidei mysteria exponebantur, ut erudirentur catholici, & schismatici coarguerentur. Quod cum fieret à pueris, multo

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

V u u u

minus

17.  
P. Petrus Paezius in Aethiopiã redit.

minus habebat invidiæ; confirmavitque Prorex in frequenti procerum coetu, doceri se plenius & melius, quàm à suis monachis; qui sunt in Aethiopia plurimi, at imperitissimi. Cum iis crebras Paezius dimicationes suscepit, praesertim de processione Spiritus Sancti à Patre Filioque. Obstupescabant auctoritatem sacrarum paginarum, sanctorum Patrum testimoniis, ac theologica ratione convicti: cumque hiscere nihil contra possent, unus ipsorum Paezio in aurem insurravit, hæc ita quidem esse uti docebat; non tamen palam disputanda, sed cum litteratis. Ego vero, subiecit, & palam prædicabo, ac vobis denuncio vestri esse muneris eadem omnibus inculcare; ac, ni facitis, sempiterno vos exitio cum iis, qui vestro silentio & inscitia decepti peribunt, esse perituros. Audiebat hæc Proregis uxor, & catholici magistri libertatem fiduciamque boni consuluit: sed ut suos doctores iniquo certamini subduceret, sermonem ad aliud argumentum dehexit. Doluit pertinaciâ miserorum Paezius, qui cæcos cæci regerent, ac præcipites in foveam secum raperent. In æternis tamen divinæ providentiæ consiliis acquievit, quæ saltem id assequitur è laboribus Evangelicorum præconum, ut per ipsam stare non dicatur quominus *omnes ad agnitionem veritatis veniant* \*.

\* I. Ad Timoth.

18.

Ab Imperatore benignè auditur; disputat cū Aethiopicis doctoribus.

Paezius interim ad Imperatorem recentis victoria clarum contendit. Invitatus à duobus nobilibus, apud eos pernoctavit in itinere. Utrique tres uxores erant, idque annuente & probante schismatico Patriarcha: qui ab iis consultus responderat satius esse ut eas domi retinerent, quam dimissas vagari cum periculo paterentur: sed alias ne admitterent, ac tribus contenti essent. Ostendit errorem Pater, utque unam duntaxat legitimis haberent junctam nuptiis, & Romanæ ritus Ecclesiæ amplexarentur, persuasit. Secuta est heros familia copiosa. XV. Kal. Quintiles ventum est in aulam. Sedebat Imperator aureo fultus folio: adstabat ingens procerum ac monachorum numerus. Processit Paezius, & manum Principis osculatus recipiebat se in adstantium turbam. Imperator accedere propius, & sedere iussit; non sine monachorum querela, honorem tantum haberi sacerdoti catholico indignantium. Multa de Rege Lusitanæ, de moribus Europæorum, de sacerdotibus & religiosi viris sciscitatus est. Hæc fuere quasi præludia ingentis pugnæ, ad quam vocatus triduo post Paezius florem eruditionis è tota regione collectum reperit: monachos vero quatuor ex omni numero selectos, cum aliquot regni primoribus. Signum pugnæ Imperator & argumentum dedit. Continuo unus è monachis disputationem intulit de carimoniis antiquæ legis, eas à catholicis repudiari magnoperè questus. Postquam copiosè de hoc argumento disputatum est: alius quispiam rogavit, cur duas in Christo voluntates poneremus. Quia duas, ait Paezius, in Christo naturas humanam ac divinam, unice velut insitas personæ ponimus; nec sua voluntate propria magis, quàm intelligentia carere utralibet naturarum istarum potest. Addidit alia pleraque, ducta è theologice fontibus; ac veritatem doctrinæ catholicæ demonstravit. Defixi admiratione ac pudore monachi arma, non pervicaciam, posuerunt. Unus procerum, qui Regis sororem duxerat, ingenio acer & litteris excultus, Paezium obsecravit, ut, quæ dixisset, tradere sibi scripto exarata non gravaretur. Annuit libens, & ad vulgandam vernaculo sermone hujus certaminis seriem se accinxit. Sed antea rogatus ab Imperatore ut verba faceret, orationem habuit per horam dimidiam: cui finem cum vellet imponere, oratus porro ut pergeret, ultra horam excurrit; laudante admodum Principe, ac vera quæcumque dixisset, prædicante. Idem pueris Christianæ legis elementa recitantibus regias aures tam secundo favore commodavit, ut in eam erumperet vocem: Quid necesse est ut cum nostris monachis operosè disputet Europæus doctor, qui pueris istis nequeunt respondere? Tum, ingemiscens, Jam intelligo, ait, nos Christianorum habere nihil præter nomen! Et ad Patrem conversus, Habesne scriptum quidquid pueri modo recitarunt? Hoc ipsum de industria Paezius attulerat bellissimis descriptum characteribus: quod Imperatori cum porrigeret, Josaphati, regis Judæ, exemplum protulit: qui divini cultus in regno suo restituendi cupidus, Levitas libro legis instructos regionem obire iussit, ac populum erudire\*. Quo facto tantam apud Deum iniiit gratiam, ut vicinis regibus injecto divinitus terrore, pax & quies

\* II. Paralip. 17.

quies diuturna Judæis constiterit. Non aliam Imperatoris fore sortem Paezius adjecit, si suos salutari doctrina curaret imbuendos, maximè vero pueros, qui deinde in parentum locum & munia suscepti, catholicam religionem tuerentur ac propagarent. Hæc ubi Regina renunciata sunt, incesit mulierem religionis cognoscendæ studiosam cupido catholici sacerdotis audiendi. Materiam dicendi luculentam Paezio subministravit dies Beatis Apostolis Petro Pauloque sacer. Exorsus est orationem stans præsentem Imperatore, qui pedibus insistere diutius illum non ferens, in cathedra confidere sua jussit, ipse in humili sedecula auscultans, aula tota stupente. Absoluta concione multis laudibus oratorem confessus omnis profecutus est. Quin Episcopum adstantem compellans Imperator, Non video, inquit, cur tantoperè ab istis hominibus abhorreamus: quid enim non rectè ac præclarè docent?

Rerum tam prospere gestarum fama, multorum sermonibus & litteris in Indiam pervecta, inde novos operis feliciter inchoati adjuutores excivit, qui Patri Paezio in hac tam latè patenti vinea desudanti opem ferrent. Obtigit fortunata fors Patribus Ludovico Azebedio Lusitano, & Francisco Antonio de Angelis Italo. Diuturna meditatione rerum cœlestium, corporis afflictatione, & virtutum ceterarum usu multo præparati, Armenias vestes induerunt: & antefanctissimum Sacramentum toto provoluti corpore, perfusisque lacrymis, inter Sociorum Superos comprecantium amplexus anno MDCIV. discessere. Sola, quam conscenderant, navis portum Suaquenum attingit: ex aliis tribus, quæ simul vela fecerant, duæ amissæ; tertia Mocham fuit abrepta: qui portus Arabico in litore jacet, è regione Suaqueni, & præfecto Turcico montis Sinai paret. Præfectus Suaqueni memor illius humanitatis, qua Diensis prætor missum à se in Indiam anno superiori Rezoanum acceperat, Armenios excepit non verbis tantum bonis, verum etiam factis. Obfignatam chirographo suo potestatem eundi quocumque vellent dedit: adjunxit præsidium, à quo in Æthiopiam ducerentur.

Postquam Goæ cognitum fuit illos Æthiopiam feliciter ingressos, exarserunt studia nostrorum ad eorum vestigia consecranda. Itaque anno sequenti solverunt è Diensi portu PP. Antonius Fernandus Lusitanus, & Laurentius Romanus, Italus. Magnam itineris tuto ac facilè conficiendi spem reponebant in Suaqueni portus præfecto, cujus benevolentia in Patres anno superiori tam insigniter perspecta fuerat. Alium ei subrogatum invenere. Ab illo arcessiti, cum vincula timerent ac necem, splendida veste donati sunt; ac mensæ adhibiti; comœatu instructi; commendati portuum & littorum præfectis, ab iisque summo cum honore Mazuam, qui proximus Æthiopiæ portus, deducti pridie Idus Jun. MDCV. Par gubernatoris Mazuæ liberalitas exstitit. Ejus beneficio jussuque quadraginta milites tutum illis iter præstiterunt, usque ad urbem à Turcarum finibus remotam: ubi eos Lusitanus prætor cum lecta suorum turma opperiebatur. Baroam ingressi III. Kal. Quintiles, cum ibi paulisper quievisset, Fremonam contendunt: quam triduo post attingere, occurrentibus cum singulari voluptate tribus, qui tunc versabantur in Æthiopia, sacerdotibus Societatis; & obviam effuso Christianorum agmine, manus ad oscula libanda certatim prensantium.

Regius erga Patres favor læta omnia rei catholicæ spondebat: nec dubitabant quin brevi pristinum Petri successoribus obsequium Æthiopia deferret. Spes tantas importuna mors Imperatoris evertit. Zezelazus è gregario milite ad primos militiæ gradus propter eximiam fortitudinem evectus, duas provincias totius imperii pulcherrimas administrabat. Elatus felicitate, quam infimus quisque vix moderate patitur, ut Principem folio dejiceret sollicitavit proceres, & illorum partem maximam sibi conciliavit. Imperator à nobilitate desertus, in extremos imperii fines cum paucis se recipit, exterorum auxilia tentaturus. Errantem P. Paezius assequitur, & consolationem, quam tempus ferebat, adhibet; eo justius ipsi debitam, quod hostes illum idcirco cupiebant perditum, quia Romana restituere sacra velle diceretur. Auctores erant Lusitani ut bellum duceret in longum; donec ejus exercitus novis, quæ quotidie affuebant, copiis valesceret, hostiumque fractus ipsa mora languesceret imperus. Vicit contraria obstinatio &

19.  
Supplementum  
Sociorum. His  
savet novus  
Imperator.

inconfulti ducis opinio. Imperator, Nilo superato, venit in hostium conspectum, copias explicat. Dextrum ipse ducebat cornu, laevum Lusitani. Ab iis hostium acies, quæ stabat ex adverso, momento contrita. In regio agmine, cæcis primo incurfu ductoribus, laboratum est aliquandiu; cum subito Anahel unus è percogitabat; nam haud ita pridem ab Imperatore defecerat. Qui statim atque subeuntem vidit, ratus adhuc proditorem, Ah! perfidum caput! exclamat: simulque acinacem vibrat in salutantem, ac mortuum humi dejicit. Aderat proximus parenti Anahelis filius, ac dolore amens, ipsum Imperatorem adacta in pectus lancea transfixit; mox arma in regias copias vertit, quas ducis necce sternatas Zezelazus superveniens ad satietatem cecidit. A Lusitanis, qui numero circumventi, sustentabant adhuc aciem, vim abstinuit, admiratione virtutis, & quia non inutiles sibi futuros confidebat. Orta deinde gravis inter Zezelazum & alios duces de principatu dimicatio, Socinius David victis amulis occupavit imperium\*, & Seltan-Seguedi nomen sumpsit. Regnum deinde vitamque produxit usque ad annum MDCXXXII. Patres benignè ac familiariter accepit, ipsique stationem assignavit Gorgorra, ad lacum Dambeam, & domum suis sumptibus extruxit. Quæsit etiam à P. Pæzio qua ratione posset perpetuum sancire cum Rege Lusitanorum fœdus; & ejus uti copiis ad comprimendas, quæ pacem convellebant, factiones. Respondit Pæzius id nullo certius fieri pacto posse, quàm si catholicam Romanam amplecteretur Fidem. Nihil gratius fieri Lusitanis Regibus posse, qui unum hoc operæ per tot annos Abissinis navata pretium ac fructum spectarent. Sibi vero nihil aliud in votis esse confirmavit Imperator, quide religione veterem in statum restituenda seriò cogitabat. Nam præter dotes regies benè multas, hac etiam laude præstabat ut veritatem cognosceret cupidè, & cognitam amaret: ac de pietate sapissimè cum Patribus Societatis diserebat. Igitur accitis proceribus proposuit ingens & agitatum diu negotium Æthiopia ad Ecclesiæ Romanæ communionem & auctoritatem tandem aliquando revocanda.

## S. X.

IMPERATOR AD  
ROMANUM PON-  
TIFICEM SCRIBIT.  
RELIGIONIS  
PROGRESSUS.

VARIATIS magno animorum motu sententiis, decretum denique est ut Imperator litteras ad Romanum Pontificem ea de re scriberet. Scripsit pridie Idus Octobr. anni MDCVII. simulque de legato Romam mittendo egit: ac sæpe per summum dolorem exclamabat: Quin omnes unam in Fidem & Ecclesiam convenimus! Malè sit iis Imperatoribus, qui nos primùm ab Ecclesiæ Romana divellerunt. Idem sentiebant & loquebantur complures monachi, quorum mentes vitiosa cupiditas, aut inscitia non penitus obcæcaverat. Cum Patribus erant frequentes, & errorem sibi eripi patiebantur: tametsi veritatem agnitam profiteri non auderent, pudore malo, Proceres ambitio, avaritia, impietas ab eadem veritate amplectenda deterrebant: populum ignorantia, & sacerdotum exempla non minus quam verba. Denique obstabat à Turcis Saracenisque metus, quorum arma reformidabant, si Romani Pontificis fidem sequerentur. Has inter angustias religionem trepidam Socii omni ope tutabantur, operamque dividebant inter monachos refutandos, populum erudiendum, ac pueros potissimum educandos, quorum Seminarium iisdem fermè legibus regebatur, quibus adolescentium contubernia in Europa temperantur. Quippe hoc antiquum adhuc obtinent Abissini, ut liberos suos in monasteriis educandos vulgo teneant. Eosdem in Societatis disciplinam tradebant ultro; capti majestate carmoniarum Ecclesiæ catholicæ: quas in Æthiopicis templis nullas, aut valdè obsoletas habent. Dierum enim vel sanctissimorum celebritatem non aliter colunt, quàm recitandis aliquot præscorum Patrum homiliis. Catholicæ pietatis præclara species, & instituendæ juventutis cura juniorem Imperatoris fratrem, Proregem Tigræi regni, summoperè nobis conciliavit. Nomen ipsi Sela-Christos, hoc est, Imago Christi: ætas florens, ætatis bellicæ scientia eximia, cognitio sacrarum litterarum non vulgaris. Divina rei & concioni domi nostræ interfuit: concertantes de catholica doctrina Seminarium alumnos audivit summa cum voluptate, pietatemque studio Patrum & sedulitate florentem cernens, Credideram hæcenus, inqueiebat, Saracenos multo esse accriores in falsa religione amplificanda, quàm Christianos in propaganda vera: nunc

nunc aliter se rem habere intelligo; & latro inveniri quos divinam legem tanto studio & ornare & diffundere delectet. Non aliter loquebatur ac sentiebat ejusdem regni Tigræi dynastes præcipuus, qui filium suum nobis instituendum obtulit. Plerique adolescentes summo loco nati parentum imperia prævertebant; imo illis invitis convolabant ad Seminarium: nec se longo & periculoso itinere committere verebantur, ut Societatis institutione gauderent.

Plus admirationis habuit monachi senis ad Fidem & Patres accessus. Annos attigerat fere centum, tanto remotior à veritate, quanto in errore constantior. Ejus scholam celebraverant imperii primores: hinc auctoritas, opes, fama; discipulis magistrum tutantibus certatim & ornantibus. Non alium atrociorum sentierat Patriarcha Ovidus adversarium: Societatis homines ethnicorum in loco ac Turcarum habebat. Oblata illi secundum quietem ignoti hominis angusta species iussit ut Pæzium recens ex Arabico sinu Æthiopiæ ingressum conveniret audiretque, si salutis consultum suæ vellet. Non fuisse nocturnum delirantis senii ludibrium inde potissimum patuit, quòd P. Pæzium advenire, multo ante quam adesset, prænuñciaverit: & eundem, converso in amorem pristino, quo Patres Societatis prosequeretur odio, sponte convenerit. Monachum excepit Pater solita humanitate; errores ut abjiceret admonuit; præsertim ne baptismum Christianorum iteraret, uti facitabat; ceterisque ritibus ineptis, partim impiis nunciis remitteret. Negavit initio senex id facere se posse, turpe sibi dicitans ea modo repudiare, quæ didicisset puer, quæ senex docuisset. Tantæ molis est inveteratum errorem candidè recantare! Interim rediit in somnis illa cœlestis viri forma: urget vehementius ut Pæzio morem gerat. Denique tertium reversa non, ut prius, ore leni & amico, sed minaci & severo; certissimum, nisi faceret imperata, exitum denunciavit. Senior attonitus, & graviora metuens, ad Pæzii pedes accidit supplex. Pæzium vicissim, ut hominis constantiam exploraret, accipere illum asperius est visus, cum diceret nihil sibi esse rei posse cum pervicaci doctore, cum Ecclesiæ catholicæ ac religionis hoste capitali ac professo. Vere sibi hæc objici fateretur ultro senex, veniam rogat; ac meliora spondet: neque ullam interposuit moram quin Romanæ Fidei professionem palam ederet. Vix ediderat; in morbum incidit, quo post diem octavum consumptus est. Rei novitas Æthiopiæ omnem perculit. Confluxerunt ejus domum paulo antequam cederet è vita, catholicis permisti hæretici. Quibus ille magna voce confirmabat, nullam patere salutis viam, nisi Romanâ in Ecclesiâ & Fide. Apud multos oratio morientis ac testimonium valuit.

Alteri pariter monacho juveni parta miris modis salus. Abductus olim in Lustraniam puer, inde in patriam redux, conjugem duxerat. Ea mortua, cœnobio se inclusit. Dormienti Virgo Deipara visa est graviter exprobare, quòd veritatem amplecti tandiu cunctaretur; & aurea, quam præ manibus habebat, virga percussit pedem. Dolor excussit somnum, & menses aliquot juvenem lecto continuit. Eo sedato, devios erroris calles deseruit, & *pedes in viam patris salutisque direxit*. Eadem Virgo sanctissima vetulam centum, aut amplius, annos natam servavit. Viduam & septem onustam liberis vir moriens reliquerat. Orto bello, cæsi omnes; ipsa in servitutem abstracta. Effugium nihilominus reperit, auspice divina Matre, cujus in fidem & clientelam se contulerat. Ea duce per in-via, & leonibus tigribusque infesta nemora iter Fremonam usque tenuit: ubi à Patribus instituta, piorum cœtui se adjunxit. Sexcenta ejus generis miracula referre possem, è quibus perspicere licet nequaquam agere nihil viros Evangelicos; quamvis catholica res, inter salebras periculorum lentius procedens, non respondeat semper ipsorum votis; uti tum in Æthiopia contingebat. Foris Turcæ, intus schismatici religionis vastitatem atque interitum moliebantur. Non alia, gravior existit, quàm à monacho, perniciis: qui è silvarum, ubi annos ipsos viginti latuerat, umbraculis in hominum lucem progressus, imperium affectare ausus est; ac se latronum perduelliumque gregi scelerato ducem præbuit. Impetum in Fremonensem Societatis domum facere decreverat; collocatæ in vicini fluminis ripa erant insidiæ; at Dei nutu detectæ catholicos ad ædis sacræ defensionem excita-

excitarent. Dissipata subinde arma prædonis & confilia: ipse ab Imperatoris satellitibus captus & catenis oneratus: reliqui perduellionis conscii, fusi fugatique: pars veniam à Principe consecuti, ac disertè professi sunt suos omnes conatus ad evertendam catholicorum sacram ædem conspirasse, at irritos semper inanescque cecidisse. Aliud existit nec leve periculum à præpotente magistrato, qui Romanæ Fidei cultores opprimebat calumniis litium, & possessionibus domiciliisque pellebat. Accusatus apud Imperatorem gravi crimine, à Prorege coniectus in vincula; & ab amicis, mutata fortuna, derelictus, ad Patres confugit, in quos omni crudelitate sævierat. Illos unos amicos & patronos habuit, non sine hominum admiratione: ita ut Prorex in eas voces erumperet: *Que tandem isthæc natio sacerdotum est? Si tales se præbent inimicis, quid amicis facient?*

At Imperator, domitis aut repressis duodecim ac pluribus etiam tyrannis, pacem utcumque ac tranquillitatem revocavit; operâ præsertim ac virtute ducum & procerum, quibus insigniores præfecturas commiserat. Eminebat inter illos Sela-Christos, de quo antea meminimus\*. Hunc Imperator ipse, frater, ad catholicam religionem studebat adducere: satis gnarus quantum vel unus affert momenti posset ad reliquos proceres in verba Romani Pontificis adigendos. Igitur, cum ad extirpandas factionum reliquias in Goiamam anno MDCXII. copias eduxisset, eumque illius provinciæ creasset Proregem; sic, dextro tempore captato, familiariter allocutus est. Videntur mihi vera quæ Patres de religione docent; cur iis non omninò assentimur? Silentem & quasi abnuentem urget frater: Si tibi aliud videtur, inquit, expende per otium quid doceant, & nunquid falsitatis ac doli subsit explora: tum, si quid ejusmodi deprehenderit, renuncia mihi, ut quid agendum sit statuam. Nefas enim quemquam inaudita causa damnare. Paruit Sela-Christos: audivit Patres diligenter; catholicam doctrinam excussit: cum ea libros Abissinorum contulit, in iisque manifestos errores perspexit. Mox Patri Francisco Antonio ab Angelis erudiendum se dedit, paucisque post diebus Fidem catholicam est professus. Secuti sunt præeuntem doctor celeberrimus Fecur-Egzium: deinde Olda-Christos, regii consilii senator: tum Alba Zamanuel, cœnobii Selab in Goiamam præses; Adarus equitum magister; Zamanifes Kedus Goiamæ gubernator; & plerique alii pacis bellicque artibus clari.

Imperatoris de re tanta bene ac feliciter gesta lætitiæ cumularunt perlatæ anno MDCXIII. ad eum à Romano Pontifice Paulo V. & Rege Lusitanæ litteræ. Placuit mittere Legatum in Europam Fecur-Egzium, addito P. Antonio Fernandio comite. De via deinde consultatum. Visum est præstabilius Indiam itinere terrestri petere. Sed, ut hæc via fortasse brevior, & procellarum ac morarum quæ maritimum iter infestum reddunt, expers; ita periculis gravissimis non carebat, propter interjectas gentes linguis, moribus, ac studiis discrepantes; quarum fines attingere præsertim externis, & quod capiatur habentibus vix licet. Hoc damno suo experti sunt legati. Nam exacto fere varia inter detrimenta & impedimenta biennio, coacti sunt, Mahometani cujusdam prodicione, ad Imperatorem in castra se referre. Interim in ipsis castris non exigua facta est ad rem Catholicam accessio. Publicam Romanæ Fidei professionem ediderunt Beda-Christos & Zadenguil Imperatoris patruales; abbas Merca, ejusdem magister; Tecla-Selassus eidem à secretis & epistolis: Coba-Christos regie familiæ administrator. Horum numero & auctoritate freti veræ doctrinæ defensores, eam pro-palam prædicabant. Contra hæretici fremere, concitare seditiones, vastitatem & exitium imperii minitari. Urgere illos catholici, & ad disputandum provocare; modo Imperator adesset, prælii moderator, & veritatis vindex. Accipiunt conditionem. Dies certamini dicitur. Interfuere PP. Petrus Pæzius & Ludovicus Azebedius. Imperator pauca de rei gravitate præfatus libros proferri jubet. Producti sunt varii ex Evangelio sanctorumque Patrum voluminibus loci, quibus duplex in Christo natura demonstratur. Nam de hoc præcipuè capite Abissini certant. His auditis attoniti convictique hostes veræ doctrinæ inducias bidui, ut responderent, petierunt. Quo spatio elapso cum nihil admodum opponerent, Imperator disputationis exitum, & catholicum de duplici distinctaque in Christo natura

20.  
Imperatoris frater Fidem Catholicam cum plerisque proceribus profitetur.

\* Suprà. §. X.

21.  
Solennis disputatio. Ejus fructus. Hæreticorum conatus impii.

natura caput promulgari totis castris jussit. Est Abuna sacrorum apud Abissinos præses & arbiter. Is graviter cum Imperatore per litteras questus est, quod rem tanti momenti, se absente, confecisset. Respondit Princeps operam se daturum ut instauraretur concertatio, si adesse vellet. Adfuturum se promisit: neque incommittat. Numerosa sacerdotum iniquorum quasi cohorte cinctus venit. Catholici tam acriter pro veritate pugnarunt, ut coactus obmutescere ad convicia descenderet; & inani contra duarum naturarum defensores anathemate vibrato assurgeret. Discedentem tenuit Princeps, utque audire porrò pergeret imperavit. Audiit per multas horas quæ in utramque partem disputabantur: & veritate victus, aut victum se fingens, omninò rem ita se habere affirmavit ut à catholicis tradebatur. Itaque rursus promulgari dogma catholicum Imperator voluit. Non diu stetit in eadem sententia mercenarius pastor. Erat Emanu-Christos Imperatoris frater senior, idemque Principum Aethiopicorum caput (quæ dignitas apud Abissinos Ras appellatur) homo errori perditè mancipatus. Eo impellente, Abuna sacramentorum usu & congressu piorum illis interdixit, qui Lusitanorum, sectarentur Fidem, aut eorum templa frequentarent. Idem anno MDCXIV, occasionem ex oborta inter Goiamenses populari seditione captans, multos ad suas errorisque partes objecto anathematis metu compulit.

Levitatem perfidi antistitis indignè ferens Imperator hinc Patres Societatis & selectos quosdam monachos, inde Abunam cum suis arcessit. Redintegratur certamen. Victi erroris patroni aliud nihil quo confugerent habuerunt, præter suum Dioscorum, unius in Christo naturæ propugnatorem. Eum clamitabant idem ac D. Paulum, docuisse, parendum consuetudini, standum præcis Abissinorum moribus. Productâ in multam noctem pugnâ, discessum est. Nec ita multo post infidiæ improborum adversus Principem deprehensæ: de quibus à P. Pæzio factus ille certior, prudenti consilio tempus exemit; & sumendas de perfido Abuna, pœnas in commodiorem locum distulit.

Patres cum in sacrorum librorum auctoritate multum esse ponderis animadverterent ad illustrandam Fidei veritatem, instituerunt anno MDCXV, eruditos doctorum catholicorum & interpretum codices in Aethiopicum sermonem convertere: Cardinalis Toleti Commentarium in epistolam ad Romanos: Riberæ, in epistolam ad Hebræos: Maldonati, in Evangelia; & aliorum id genus: quibus libris discussæ tenebræ, quas procerum ac monachorum mentibus inscitia offuderat. Egregiam tum in iis voluminibus latè spargendis, tum in ipsis disputationibus operam navaverat Sela-Christos, Fidei catholicæ defensor acerrimus. Eandem oppugnabat capitali odio Emanu-Christos, ambo Principis fratres; hic senior & Ras: qua dignitate clarus cum noceret vehementer Religioni & piis Imperatoris consiliis, ea spoliatus est; & subrogatus illi frater natu minor Sela-Christos. Hinc atrox inter fratres dissensio, hinc turbæ religioni funestissimæ, quæ in consequentes annos eruperunt, ut in sexta Parte Historiæ narrabitur.

